



DE

# REGIONE PAELIGNORUM




*Thesim Facultati Litterarum Parisiensi proponebat*

**Mauricius BESNIER**

Scholae Normalis olim alumnus,
Gallicae quae est in Urbe scholae nuper socius.



LUTETIAE PARISIORUM

APUD FONTEMOING BIBLIOPOLAM

4, VIA DICTA LE GOFF, 4

—

MDCCCCII


# DE

# REGIONE PAELIGNORUM

# DE
# REGIONE PAELIGNORUM

*Thesim Facultati Litterarum Parisiensi proponebat*

**Mauricius BESNIER**
Scholae Normalis olim alumnus,
Gallicae quae est in Urbe scholae nuper socius.



LUTETIAE PARISIORUM
APUD FONTEMOING BIBLIOPOLAM
4, VIA DICTA LE GOFF, 4

MDCCCCII

DOCTISSIMO ET BENEVOLENTISSIMO VIRO

LUDOVICO DUCHESNE

ACADEMIAE INSCRIPTIONUM SODALI
GALLICAE QUAE EST IN URBE SCHOLAE RECTORI

*Grati animi pignus*

D. D. D.

# BIBLIOGRAPHIA

*Carta d'Italia*, Istituto geografico militare italiano $\left(\text{scala}: \frac{1}{50.000}\right)$.

*Carta d'Italia*, Istituto geografico militare italiano $\left(\text{scala}: \frac{1}{200.000}\right)$.

*Carta geologica d'Italia*, Roma, 1889 $\left(\text{scala}: \frac{1}{1.000.000}\right)$.

H. Kiepert, *Special-Karte von Mittel-Italien mit Berücksichtung des Alterthums* $\left(\text{modulus}: \frac{1}{250.000}\right)$, Berlin, 1881.

H. Kiepert, *Italiae regio quarta*, in : C. I. L., t. IX, tab. II $\left(\text{modulus}: \frac{1}{500.000}\right)$, Berlin, 1883.

—

C. Minieri-Riccio, *Biblioteca storico-topografica degli Abruzzi*, Napoli, 1862.

A. Parascandolo, *Supplemento alla Biblioteca storico-topografica degli Abruzzi*, Napoli, 1876.

V. Bindi, *Fonti della storia abruzzese, supplemento alle Biblioteche etc.*, Napoli, 1884.

G. Pinsa, *Bibliografia storica degli Abruzzi, terzo supplemento*, Lanciano, 1891.

—

Emilio de Mattheis (1631-1681), *Memorie historiche de 'Peligni, divise in tre libri, nei quali si descrivono i confini, gli abitatori, ed il vito de 'Peligni, le guerre, le fondazioni e le destruzioni dei luoghi, gli uomini illustri nella santita, nelle lettere e nelle armi, col catalogo di tutti i vescovi di Valva e Sulmona e de 'santuari piu agguardevoli della diocesi* (opus adhuc ineditum, cuius exemplum Sulmone apud

*Ant. de Nino* exstat ; cf. G. Pansa, *Emilio de Matteis, l'opera sua e i cronisti Sulmonesi*, in : *Rassegna Abruzzese*, t. I, N° 2, *estratto*, Lanciano, 1897).

M. Torcia, *Saggio itinerario nazionale del paese de 'Peligni*, Napoli, 1793.

Fr. Ant. e L. de Sanctis, *Notizie storiche e topografiche della città di Solmona*, Napoli, 1796.

Ign. di Pietro, *Memorie storiche della città di Solmona*, Napoli, 1804.

Smith, *Dictionary of greek and roman geography*, s. v° *Peligni*, London, 1873.

*Corpus Inscriptionum Latinarum*, t. IX, Berlin, 1883.

—

*Bullettino di Paletnologia italiana*, Parma, 1875 sqq.

*Notizie degli Scavi di Antichità, pubblicate per cura della R. Accademia dei Lincei*, Roma, 1876 sqq.

*Archivio storico per le provincie napoletane*, Napoli, 1876 sqq.

*Bullettino della societa di storia patria Anton.-Ludovico Antinori negli Abruzzi*, Aquila, 1889 sqq.

*La Rivista abruzzese di scienze, lettere ed arti di Teramo*, 1891 et sqq.

*Rassegna abruzzese di storia ed arte*, Lanciano, 1897 sqq.

DE

# REGIONE PAELIGNORUM

## PROOEMIUM

Ut *Fernique* noster anno 1880 de regione Marsorum disseruit (1), ita nobis propositum est regioni Paelignorum, qui Marsis finitimi erant, librum dedicare. Quamvis eorum ager exiguis terminis contineretur, Paeligni tamen praeromanis temporibus et romana quidem aetate non parum momenti habuerunt, cuius auctores sunt veterum scriptorum nonnulli loci, multi dialectici et latini tituli, sepulcrorum supellex, aedificiorum rudera. Primo a. C. n. saeculo ineunte maximam partem in sociali marsicove bello obtinuerunt : praecipuum enim eorum oppidum, Corfinium, italici populi in Romam coorti caput foederis elegerant.

Cum in animo haberemus historiae Paelignorum studere, non satis erat nimirum libros et ephemerides evolvere ; necesse fuit insuper regionem ipsam adire et eam summa cum cura peragrare. Ter Sulmone (nunc *Sulmona*), P. Ovidii Nasonis patria, commorati sumus,

(1) Emm. Fernique, *de Regione Marsorum*, Lutetiae Parisiorum, 1880.

quam urbem ad omnem priscorum Paelignorum agrum lustrandum sedem cepimus. Vir eruditissimus diligentissimusque antiquitatis investigator *Antonio de Nino*, Sulmonensis ipse genere, dux itinerum nostrorum fuit; scientia eius singularis et eximia liberalitas ut opus inceptum ad exitum perduceretur multum adiuverunt. Aequum est igitur et congruens huic viro de nobis optime merito gratiam aperte palamque referre.

Paelignae regionis geographica descriptio historiaque et antiqua chorographia uberrimam profecto materiam ad scribendum praebent, sed paucis verbis non possunt cuncta pertractari; quapropter summa tantum cacumina rerum hic inspicere voluimus, laxiore singulorum expositione in posterum tempus dilata.

# PARS PRIMA

## Regionis Paelignorum geographica descriptio.

---

## CAPUT PRIMUM

### De regionis situ.

Numerari solent Paeligni sabellicos inter populos, qui media in Italia, Sabinis et Samnitibus finitimi, montana nunc *Abruzzi* dicta incolebant (1). Paeligna regio, novies decem milia passuum ab Urbe distans (2), e tribus sabellicis civitatibus constabat. C. Plinius Secundus in *Historiae Naturalis* libro tertio de gentibus singulis quae in Italia antiqua erant orationem habet. « Paelignorum sunt, inquit, Corfinienses, Superaequani, Sulmonenses (3) ». Qui fuerint Paeligni, quid fecerint, quid valuerit quaeque civitas, posterius videbimus. Ceterum non alienum erit gentis historiae regionisque chorographiae geographicam quamdam descriptionem praeponere. Casune factum est ut e Corfiniensibus Superaequanis Sulmonensibus populus unus exstiterit, a vicinis con-

(1) Th. Mommsen, *die Unteritalischen Dialekte*, Leipzig, 1850, p. 327. — W. Deecke, in : Gröber, *Grundriss der romanischen Philologie*, t. I, Strassburg, 1888, p. 340.

(2) Ovid., *Trist.*, IV, 10, 3.

(3) Plin., *Hist. Nat.*, III, 12, 17.

sanguineisque populis separatus? An contra e magnis gravibusque causis, ex ipsa rerum natura depromptis, percipi potest quomodo tres istae civitates semper consociatae fuerint et eiusdem fortunae participes? Paeligni sedem in intimo recessu montium collocaverant; regionem tenebant cuius situs statusque maximum habuerunt momèntum in gentis vicibus peragendis.

Decet primum sabellicas terras (*Abruzzi*), quibus Paelignorum parva regio continetur, in universum intueri (1).

Apenninus, italicam paeninsulam a vertice usque ad imos talos prorsus dirimens, in tres partes dividitur, septentrionalem, mediam, meridionalem, vehementer inter se dissimiles. Pars media, quae initium capit a monte hodie *monte della Sibilla* nuncupato et cuius cursum finit mons ingens qui *monte della Meta* vocatur, cum septentrionali et meridionali hoc differt quod oculis nostris maiora iuga proponit, in ramos plurimos distributa (2).

Medius nimirum Apenninus ad altitudines conspicuas pervenit. Summum fastigium, 2.921 m. altum, (nunc *Gran Sasso d'Italia*) montem Fiscellum veteres nominabant. Cum nullum in aliis Italiae provinciis culmen montem Fiscellum assequatur, tum alii quidam e sabellicis ipsis iugis vertices fere comparem excelsitatem contingunt: *monte Vittore* (*Sibilla*) 2.478 m., *Pizzo di Sevo* 2.422 m., *monte Gozzano* 2.455 m., *Termi-*

(1) Cf. Nissen, *Italische Landeskunde*, t. I, Berlin, 1883. — Th. Fischer, *das Halbinselland Italien*, in: Kirchhoff, *Länderkunde von Europa*, t. II, 2, Wien, 1893, p. 285-515. — W. Deecke, *Italien*, Berlin, 1898. — K. Hassert, *die Abruzzen*, in: *Geographische Zeitschrift*, 1897, p. 1.

(2) Nissen, *op. cit.*, p. 235.

*nillo* 2.213 m., *Velino* 2.488 m., *monte Amaro* 2.795 m., *monte Grande* 2.208 m., *la Meta* 2.241 m., etc. Saepe nec immerito sabellicarum terrarum altissima moles, quae subiectas planities vel minores montes undique prospectat, arcis Italiae cognomen assumpsit (1).

At iugorum compagem diligentius perspiciamus. Medius Apenninus in rugas multas replicatur. Disiecta eius membra pluribus lineis ordinantur, quae a Sibyllinis montibus ad meridiem versus pari tractu discedunt. Viatoribus ab Adriatico litore profectis claustra primum celsissima montis Fiscelli montiumque *Majella* et *Morrone* dictorum opponuntur, postea minus elata iuga Marsorum, ac deinceps mediocres Sabinorum clivi. Inter montium ramos valles occurrunt in longitudinem porrectae, nunc late patentes, nunc arte compressae; amplissimi sinus saltusque in angustas fauces coacti vicissim spectantibus obversantur. Locorum asperitas diversitasque magno sunt documento quibus motibus et perturbationibus italica paeninsula praehistoricis temporibus laboraverit.

His expositis, facillime intellegimus quae sit intima sabellicarum terrarum structura. *Abruzzi* montium claustris et saltuum angustiis in parvas diductasque regiones scinduntur. Unaquaeque regionum ad secretam vitam reservata erat; in unaquaque, postquam Sabelli mediam Italiam invaserunt, seiunctus populus increvit. Marrucini, exempli causa, inter Adriaticum mare et primos Apennini vertices (*Morrone*, *Majella*) consederunt; Paeligni porro inter primos vertices secundum-

(1) E. Reclus, *l'Europe Méridionale*, Paris, 1883, p. 436. — Nissen, *op. cit.*, p. 236.

que iugorum tractum; Marsi denique inter secundum tractum et tertiam rugam, quae Sabinis connectitur. Gentium varietas montium valliumque varietatem secuta est.

Magnum opus sit, ut opinatur *Micali*, cuiusque sabellicae gentis terminos certos circumscribere. Attamen sic rursus idem ipse scriptor exortus est: *Pure si vede chiaramente che il corso de' fiumi e la naturale disposizione delle valli posero i lor respettivi confini* (1). Vallis quam alluunt pars media fluminis Aterni et amnes in eam influentes fere perpetuis iugis cingitur, quae fines erant a natura constituti. Complectitur fere 107 chiliometra quadrata. Hic inhabitabant Paeligni (2). Sabellicae terrae media in Italia positae erant. Regio immo Paelignorum, qui inter Sabellos medium obtinuerant locum, umbilicus paeninsulae revera dici poterat.

(1) Micali, *Storia degli antichi popoli italiani*, Firenze, 1832, t. I, p. 267.

(2) Regio illa pro maxima parte hodie provinciae adscribitur quam vocant *Abruzzo Ulteriore* II (*Aquila*); nonnulli tamen pagi provinciarum sunt *Abruzzo Ulteriore* I (*Teramo*) et *Abruzzo Citeriore* (*Chieti*) dictarum.

## CAPUT SECUNDUM

### De aquis et montibus.

Flumina omnia ab Apennino monte decurrentia marique illabentia Adriatico Aternus longissime antecellit (1). Cum cetera 95 chiliometra emetiantur, aut minus aut certe non amplius, Aternus, cuius summa pars Sabinorum Vestinorumque erat, Marrucinorum infima, Paelignorum media, aquas suas per 152 chiliometra producit. Recentiores nunc *Aterno* appellant superiorem Aternum, *Pescara* autem inferiorem, quem iam Paulus Diaconus octavo p. C. n. saeculo *Piscarium* nominabat (2). Flumen, e collibus ortum monti Fiscello praeiacentibus, circiter 1.100 m. altis, vergit primum inter orientem et meridiem, planitiemque peragrat elatis verticibus cinctam ubi veterum temporibus Sabini Amiternum et tertiodecimo saeculo p. C. n. Fredericus II *Aquila* aedificaverunt. Deinde, montium obiectu pressum, angustioribus ripis clauditur asperasque fauces evadit (*Gola di San Venanzio*). Cum rursus in aperta prodit,

(1) Smith, *Dictionary of greek and roman geography*, s. v°; — Hülsen, in : Pauly-Wissowa, *Real Encyclopädie*, s. v°; — Nissen, *Italische Landeskunde*, t. I, p. 339.

(2) Paul. Diac., II, 19.

altera panditur planities celsorum corona iugorum pariter circumsaepta. At repente Aternus, torrentibus undique in eum sese exonerantibus, cursum suum mutat. et inter orientem septentrionesque deflectit; ad extremas tantum Paelignae regionis oras per se ipsum pertinet. Angustiis denuo occurrit, quas transcendit magno conatu (*Gola di Tremonti*). Montibus tandem superatis, per aequa Marrucinorum loca vagatur campestrique itinere ad litus pervenit.

Ceteris adriaticis fluminibus non modo longitudine cursus sed copia etiam aquarum Aternus praestat. Multis enim uberibusque fontibus et multis amnibus rivisve alitur. Hoc saltem cum aliis commune habet quod torrentis modo inconstanter et turbulenter se gerit. Hieme ex imbribus nivibusque auctus super ripas effunditur, abradit terras, multum limum cum fractis saxis trahit. Summa aestate contra, plerisque fontibus mox exarescentibus, propemodum siccatur et viam operose quaerit. Pro diversis anni temporibus vis aquae in ea proportione mutatur quam unum facit ad 155 collatum (1). Neque usquam parvorum torrentium ex Apennino profluentium similior est quam in ipsa Paelignorum regione, per quam incitatus transilit, vix e praeruptis faucibus egressus praeruptasque iterum fauces initurus.

Quamvis Aternus praecipuum sit Paelignorum flumen, nonnulli tamen minores amnes memoratu digni sunt. Inter Apennini medii primum ramum (*Gran Sasso-Majella-Morrone*) et secundum (*Velino-Sirrente*-Mar-

(1) Nissen, *loc. cit.*: decursus media vis per punctum temporis" 42 mc.; maxima 2790 mc.; minima 18 mc.

sorum montes) vallis ingens, ut supra diximus, porrigitur; planities duas, sabinam et paelignam, cum interpositis angustiis, in se habet. Per partem eius superiorem Aternus iter facit ; per inferiorem, fluminis mutato cursu, amnis ex adverso defluens qui miscetur Aterno. *Gizio* nunc is appellatur, nomen autem antiquum incognitum. E plano vertice oritur *Piano di cinque miglia* vocato ; paelignam planitiem totam transmittit, collectis montium aquis; Sulmo Corfiniumque non longe ab eo assurgunt. E rivis quos amnis *Gizio* excipit duos saltem commemoremus : ad dextram, brevem *Avella*, quae apud Sulmonem desinit ; laeva parte, longum Sagittarium (*Sagittario*), qui, praealtis ripis coercitus, Marsorum montes stringit, parvum lacum propter *Scanno*, olim Betifulum, traicit et postea, planitie per obliquum divisa, *Gizio* petit, cui nomen suum ad extremum imponit. Parvulus quidam amnis tertiae Paelignorum urbi, Superaequo, praeiacet, e tribus rivis conflatus, *Fosso Lecconi*, *Fosso di Foce*, *Valle di Inferno*, atque Aterno dexter infertur paulo ante quam ille ex angustiis (*Gola di San Venanzio*) erumpat. Flumini tandem, fauces *Gola di Tremonti* dictas transgresso, miscetur Tirinus (*Terino*), qui a monte Fiscello defluit. Quid quod *Gizio*, *Avella*, Sagittarius, Tirinus et ceteri meri sunt torrentes ?

Quae cum ita sint, nobis perspectum est Paelignam regionem non fluvio uno pacato et aequabili irrigari, sed multis ferventibusque torrentibus. Aquae quidem ibi haudquaquam desiderantur. Purissimae sunt et liquidae, ut fieri solet in montanis. Versibus igitur P. Ovidii Nasonis Sulmonensis assentimur :

Arva pererrantur paeligna liquentibus undis (1).
Hac ego Paelignos, natalia rura, petebam,
Parva, sed assiduis umida semper aquis (2).
Parva sed irriguis ora salubris aquis (3).
Hoc quoque composui Paelignis natus aquosis (4).
Atque aliquis spectans hospes Sulmonis aquosi
Moenia... (5).

Nunc aquas per pagos camposque diducunt cuniculi et siphones qui fecunditatem terris potumque hominibus afferunt. E multis vestigiis apparet rem apud veteres se non aliter habuisse. Aquarum inductiones non omisit Ovidius Naso :

Quamvis amnibus arva natent
Et vocet in rivos parentem rusticus undam... (6)

C. Plinius Secundus dixit : « Asperiora vina rigari utique cupiunt in sulmonense Italiae agro, pago Fabiano, ubi et arva rigant : mirumque herbae aqua illa necantur, fruges aluntur et riguus pro sarculo est. In eodem agro bruma, tanto magis si nives iaceant geletve, ne frigus vites adurat, circumfundunt riguis, quod ibi tepidare vocant : memorabili natura in amne solis, eodem aestate vix tolerandi rigoris (7). »

Idem ipse Plinius, cum apud Paelignos ferraria metalla non fuerint, Sulmonis tamen aquas ob eximiam

(1) Ovid., *Am.*, II, 16, 5.
(2) Ovid., *Fast.*, IV, 685.
(3) Ovid., *Am.*, II, 16, 2.
(4) Ovid., *Am.*, II, 1, 1.
(5) Ovid., *Am.*, III, 15, 11.
(6) Ovid., *Am.*, II, 14, 34.
(7) Plin., *Hist. Nat.*, XVII, 26.

virtutem ad ferrum acrius reddendum pernotas fuisse dicit: « In nostro orbe aliubi vena bonitatem hanc praestat, ut in Noricis; aliubi factura, ut Sulmone aqua (1). » Fama quoque erat Marciam, aquarum omnium quae Urbi inferebantur clarissimam, in ultimis montibus Paelignorum oriri (2).

Verumenimvero fauces angustae quas flumen circa initia statim inferioris sui cursus transcendit parvum et arduum exitum praebent undis quae copiosissime in paelignam vallem affluunt, ad Aternum simul pariterque directae. Nunc quidem, ingentibus perfectis operibus, Aterni ripis confirmatis alveoque effosso, facilior decursus collectis umoribus datur; aquae autem in extrema planitie olim stagnabant; paludes Corfinium circumfluebant. Regionis, ut ita dicam, facies recentioribus temporibus vehementer mutata fuit.

Cum nihil aliud sit paeligna regio nisi Aterni medii amniumque *Gizio* et *Sagittario* vallis, pro finibus necessario habet montes qui vallem ipsam coercent.

Iam scimus quo pacto ordinentur paeligni montes. Duae sunt in iis lineae ex adverso positae. A caeli parte inter septentriones occidentemque solem posita usque ad eam quae inter meridiem solemque orientem posita est pariter extenduntur. Sed utraque non eamdem consequitur sublimitatem. Etenim iugorum inter se cohaerentium tractus qui ad orientem potissimum vergit alterum multo excedit. Hic et ille nonnullis in locis interrumpuntur. Tantum abest ut unusquisque continentem perpetuumque servet cursum, ut contra inter

(1) *Ibid.*, XXXIV, 41.
(2) *Ibid.*, XXXI, 24.

membra sua fauces intermissas perviosque tramites relinquat. Nemo nempe nescit commoditates quas ad transitum totus Apenninus praebeat; in hac regione a moribus suis non aberrat.

Prior linea in tribus partibus consistit. Ad septentriones versus ultimis montis Fiscelli ramis occurrimus; e latere australi montis *Picca* dicti, 1.398 m. alti, despectus est in Aternum inferiorem eiusque angustias (*Gola di Tremonti*); colles fluvium tangunt. Trans Aternum videmus montem *Morrone,* iniquissimum arborumque vacuum; initium capit a flumine; praeceps et abruptus, per viginti chiliometra patet, veluti murus ingens, planitiei Corfinioque et Sulmoni desuper imminens; culmen ad 2.060 m. emergit; ex utraque fastigii parte delabuntur aquae, et rivuli fuscae laterum telluri albulos sulcos infindunt. Mons denique *Majella* cum monte *Morrone* ex obliquo coniungitur; moles eius amplissima, frequentibus silvis vestita, circuitu suo 90 chiliometra amplectitur. Excelsissimos inter vertices septentrionalem montem *Amaro* notemus, 2.795 m. altum, totius paelignae regionis summus vertex, montemque *Rotella* (2.127 m.), qui se patentibus campis *Piano di cinque miglia* vocatis praetendit, et in extremo regionis montem *Secine* (1.883 m.)

Posterior linea Paelignos Marsosque disterminat. Marsorum montes — hoc enim nomen habent — a monte *Velino* (2.488 m.) usque ad montem *la Meta* dictum (2.241 m.) explicantur; mons *Sirrente* (2.349 m.) Superaequo imminet, mons *Grande* (2.208 m.) Betifulo (*Scanno*); mons *Greco* (2.283 m.) montem *Secine* adversum intuetur; montem *Ventrino* (1.508 m.) Imeum montem veteres appellabant. Inter *Secine* et *Ventrino* panduntur

fauces angustaque itinera; altera via contendit ad Marsorum civitates, altera hinc ad Superaequum, illinc ad Corfinium et Sulmonem. Ut Aternus medius, cum in orientem versus flectit montesque *Picca* et *Morrone* distinguit, Paelignis in Marrucinos et Adriaticum mare tendentibus portas quodam modo patefacit, ita fauces quibus nomen *Forca Caruso* nunc inditum est in paelignam regionem Marsis aperiunt aditum.

Inter altos montes intersunt humiliores terrae valliumque sinus.

Sitae erant duae Paelignorum civitates, Corfinium et Sulmo, in longa lataque planitie, montibus circumiecta, quam interfluunt amnes *Gizio* et *Sagittario*. Vallis, australi parte in 450 m. sublevata, leni clivo septentriones versus paulatim se dimittit ad planiora, 250 m. alta. Propemodum in orbem circumducta videtur. Crebro reperitur in Italia media haec locorum species. Sabini Rate (*Rieti*) et Amiternum, cuius in vicem *Aquila* suffecta est, in huiusmodi planitie locaverant. Sabina vallis, quam superior Aternus alluit saepe propter formam suam *concha d'Aquila* vocitatur; eadem de causa paeligna vallis *concha di Sulmona* appellari potest. Marsorum quoque regio non absimilem figuram subicit oculis. Sed apud Marsos Fucinus lacus, nuper exsiccatus, infimam aequoris partem totam olim aquis suis replebat montiumque praestringebat radices. Eadem nimirum fuisse patet praehistoricis temporibus ceterarum consimilium regionum condicio; nobis igitur liberum est contendere paludes Corfinio Sulmonique vicinas vestigia esse paeligni cuiusdam lacus, qui antiquitus exolevit.

Regio nostra insuper planities duas continet minus late patentes, e quibus una (*Piano di cinque miglia*) sub

meridie posita est, altera, superaequana scilicet vallis, sub septentrionibus. Haec, 1.300 m. alta, in longum producitur; per hiemem vehementissime in eam irruunt gelidi vel pluvii venti, terraque sub nive latet; viatoribus tamen Samnium et Aeserniam capessentibus hoc unicum iter obicitur. Illa, parvulis amnibus affusa, inter fauces *Forca Caruso* dictas et Aternum flumen iacet montiumque ramis dividitur a corfiniensibus campis.

Geologis licet expromere quemadmodum alta depressaque loca dispensentur. Nostra aetate ad veterrimam Apennini historiam enarrandam *Süss*, *Partsch*, *Fischer* acriter se applicaverunt (1). Eorum opera, nihil inest dubitationis quin Apenninus, sicut Sarmatici montes vel Carpathes, incurvatus arcus sit e terris nuper surrectis compositus, quo praetexebantur quondam antiquiores terrae, mari nunc obrutae. Erat igitur, praehistoricis temporibus, extrema ab oriente sole ora montium altissimorum, quorum mediam partem alteramque oram ad occasum solis vergentem Tyrrheni maris profunda post incredibiles rerum mutationes occultaverunt atque demerserunt. Minime miramur si diversas inter rupes quae in eo reperiuntur vetera saxa nusquam inventa sunt. Montes qui in paeninsula exsiluerunt aetatis sunt vocatae a geologis secundariae, vel aetatis tertiariae. Ex nunc etiam crebris terrae motibus igniumque eruptionibus evidenter apparet perturbationes recentes necdum perfectas italicum solum con-

(1) Süss, *Ueber den Bau der italienischen Halbinsel*, in : *Sitz.ber. d. Wien. Akad., Math.-Nat. Wiss. Classe*, t. LXV, 1, 1872, p. 217 ; — Partsch, *die Hauptkette des Zentral-Apennins*, in : *Verhandl. d. Ges. f. Erdk. zu Berlin*, t. XVI, 1889, p. 427 ; — Th. Fischer, *das Halbinselland Italien*, p. 393.

formavisse. Inter Sulmonem camposque Phlegraeos centum modo chiliometris interiectis, cum effunduntur incendia ruptis Vesuvii montis verticibus caecisque tremoribus laborat Campania, paelignus quoque ager concutitur. Nondum quinque et quadraginta anni praeterierunt ex quo ultimum Sulmonis domus omnes uno eodemque ictu temporis collapsae fuerunt et eversae.

Paelignorum regio e demissa Corfiniensium Sulmonensiumque planitie cum parvis duabus adiunctis partibus, superaequana valle et campis *Piano di cinque miglia* nuncupatis, constat, eamque montes in circulum ordinati undique muniunt. Rem geologi doctissime interpretantur et enodant. Secundariae tertiariaeque aetatis rupibus altis cinguntur depressae terrae quas aetate quaternaria aquarum alluvies aggessit. Marsorum montes, mons *Picca*, mons *Morrone* montisque *Majella* nonnulli vertices cretaceas calces in se habent; asperi sunt et lapidibus confragosi, Aterno ceterisque amnibus penitus exesi. Veteres latebat in montis *Morrone* sinu reconditas opes iacere, adhuc parum exercitas, medicatos fontes, marmora, ferraria. Bitumen tamen e terra excidebant; nam latinus titulus in massa asphalti litteris prostantibus impressus apud *Letto Manopello* repertus est (1). Locorum viarumque iniquitas recentiorum voluntati gravissimas difficultates afferunt. Reliquum quod superest montis *Majella* ceterorumque in paeligna regione montium e tertiariis terris consistit, quae molliores formas habent feraciusque frugibus solum quam cretaceae. Rupes *eocenas* dictas aliis amplitudine longe praestant; *miocenas* duntaxat in valle

(1) C. I. L., IX, 3072.

superaequana invenimus et *pliocenas* circa Betifulum. Quod denique ad ipsam sulmonensem concham attinet, pro certo creditur eam novissime aquarum invectu limoque accrescente in solidum concrevisse. Ubi nunc in planitiem porriguntur exculti agri, lacus primum erat, quem paulatim a verticibus defluens humus complevit. Exinde sequitur in exaequata conchae area suggestum nullum se extollere, praeter collem unum, 674 m. altum; *monte Cosimo* vocatur; e lacu olim emergebat, haud secus ac hodie, insulae modo, ex humilioribus circum campis.

Repentini motus longaeque commutationes quibus conturbata fuit paeligna regio fluminibus cursum montibusque figuram imposuerunt. E soli conformatione contingunt caeli mores terraeque fruges.

## CAPUT TERTIUM

### De caeli moribus terraeque frugibus.

Cum altis montibus undique cingantur Paeligni sulmonensisque concha multo supra maris libram sit, nimia vi frigoris tota regio laborat. Venti omnes qui a septentrionibus vel a meridie, ab ortu vel ab occasu solis in paelignos campos incurrunt, antequam ad eos perveniunt, iuga gelida et nive saepe obsessa exsuperant. Aquilo praevalet; e frigidissimis Sabinorum montanis Fiscellique montis verticibus surgit, atque in planitiem per angustas Aterni fauces acer ruit. Ipse autem Auster, qui plerumque fervores solis secum invehit, cum campos *Piano di cinque miglia* dictos et deinceps Sulmonem attingit, excelsas Samnii terras montemque *Meta* in sublime erectum transiit, multo calore amisso. Mare postremo, quod magnopere ad aeris temperiem atque ad immoderatos caeli status mitigandos spectat, maiore intervallo a Paelignis distat, montium claustris interpositis, quam ut eius contagio ad regionem istam pertineat. Hinc facile concipitur quae sit ibi frigoris asperitas. Paeligni revera sub meridiana declinatione mundi septentrionalium condicio-

nem usurpant. Media computatio temperaturae in annos singulos Romae ac Teate (*Chieti*) 14 gradus peraequat; Sulmone, inter hoc et illum posito, sub eadem caeli inclinatione, vix 11 gradus assequitur. Saevissima hiems, montibus et agris praealta nive oneratis; tardius ver; aestas autem mitior. Dum solstitiali tempore Latini Campanique et Adriatici maris accolae ardores solis et aestus aegre patiuntur, Aterni amniumque *Gizio* et *Sagittario* gelidae valles et amoenissimum refugium et iucundam delectationem viatoribus offerunt.

Apud veteres regio nostra frigoribus suis praeclara notissimaque erat. Crebro enim scriptores paeligni caeli duritiam commemoraverunt, quae in proverbium venerat. Locupletem testem, Q. Horatium Flaccum habemus: cum e montibus venti acres latinos campos hibernis mensibus vexent, paelignum frigus, e communi Romanorum sententia, nimium algorem significabat:

Quo praebente domum, et quota
Paelignis caream frigoribus, taces (1).

Silius Italicus Sulmonis mentioni adiectivum nomen gelidum, ut necessarium, addit:

Coniungitur acer
Paelignus, gelidoque rapit Sulmone cohortes (2).

Naso quoque Sulmonensis saevitiam caeli patrii fatetur:

Sulmo mihi patria est, gelidis uberrimus undis (3).

(1) Horat., *Carm.*, III, 19, 14.
(2) Sil. Ital., VIII, 510.
(3) Ovid., *Trist.*, IV, 10, 3.

Sulmonis gelidi, patriae, Germanice, nostrae... (1).
Quamvis amnibus arva natent...
Frigidaque arboreas mulceat aura comas... (2).

In medio aestu nunquam exarescunt amnes :

Sol licet admoto tellurem sidere findat,
Et micet Icarii stella proterva canis,
Arva pererrantur paeligna liquentibus undis (3).

Hic enim uberrimo pluviarum adspersu terra perfunditur. Circumiectis montibus inhibentur retinenturque umidae nubes, quae mox supra campos dissolvuntur. Romae quotannis, ut maxime, 800 *millimetra* aquae de caelo effunduntur; Teate tantummodo 748 ; Sulmone plus quam metrum, atque 102 pluviales dies (4). Ut in meridianis fieri solet, hiemales imbres longe frequentiores et copiosiores quam aestivi; novembrales quam maximam vim habent pluviae; quinctili mense ad minimam rediguntur.

Naso collaudat patriae salubritatem.

Parva sed irriguis ora salubris aquis... (5)
Non ego paelignos videor celebrare salubres (6).

Non est profecto infitiandum tenuem incorruptumque aera et multas pluviales aquas ac profluentes morbis pestilentiaeque obstare. Attamen memoria tenemus usque ad nostram aetatem propter ingentem ipsum numerum torrentium et amnium de montibus delabentium uliginosos campos in extremo conchae

(1) Ovid., *Fast.*, IV, 81.
(2) Ovid., *Am.*, II, 16, 34.
(3) Ovid., *Am.*, II, 16, 3.
(4) W. Deecke, *Italien*, p. 83 ; — Polimante d'Ugo, *Nozioni di geografia e storia della provincia di Teramo*, Lanciano, 1890, p. 66.
(5) Ovid., *Am.*, II, 16, 2.
(6) *Ibid.*, 37.

apud Corfinium exstitisse. Paludum gravis nebula aeris spiritum inficiebat febresque (*malaria*) movebat. Cum autem verisimile sit priscis iam temporibus his in locis caelum maleficum fuisse, Nasonis dictum aliquantulum emendari debet. Salubritas enim minor erat quam e poetae verbis apparet.

Quod si paelignae terrae fruges, e caeli moribus aptas, inspicere velimus, attendamus primum miram diversitatem inter gignentia quae montes pepererunt et ea quae ex infimae planitiei fetu profunduntur.

Paelignorum plerique montes suapte natura infructuosi et infelices. Levissima humi crusta rupibus asperis imponitur modicumque solum currentibus rivis sine ulla intermissione dissolvitur. In summa terra, strata saxis, lapilli virgultaque suppeditant. Apud veteres, ut apud nos, in pascuis et in silvis erant montium copiae. Tanta incidit pabuli laetitia in altis Italiae mediae terris ut Apenninus iure per omne tempus pecori alendo optimus habitus sit. Hieme pecudes, pluviis et nivibus, ventis et frigoribus obnoxiae, iugis exclusae in aequum descendunt atque per Latii Campaniaeque et Apuliae tepidiores campos in hiberna dividuntur. Simul ac primum incipit aestas, iterum in montes Sabinorum et Marsorum, Paelignorum et Samnitium tendunt. Ita gregibus et armentis per orbem redeunt annuae migrationes : quae iam itinera in more maiorum erant posita. Etenim M. Terentius Varro Reatinus dicit : « Neque eadem loca, aestiva et hiberna idonea omnibus ad pascendum. Itaque greges ovium longe abiguntur ex Apulia in Samnium aestivatum (1) ».

(1) Varr., *de Re rust.*, II, 1.

Quamvis Varro paelignam regionem nominatim non proferat, nobis persuasissimum est in eam inde usque a principio aestivis mensibus commeavisse pecora. Nunc quam maxime celebrantur planissimi loci *Piano di cinque miglia* dicti. Cum et cetera apud Betifulum montium latera, pascuis contexta, tum ea praecipue migrantes pecudum custodes pastuum copia prolectant. Fundorum possessores in his regionis iniquis partibus, nihil praeter pecuaria locupletat. Haec autem ipsa pecuaria diversas artes alit fovetque : mulgentur oves et vaccae, casei figurantur, perficiuntur lanae, pelles, intestina.

Silvis olim Paelignorum montes vestiti erant, quae incautorum agrestium avaritia calamitose decisae sunt. E lignis venditis redigendae pecuniae cupidi, non intellegebant agrestes cum arboribus stirpem et materiam futurarum divitiarum evanescere. Crebriores caesurae magnae fuerunt rerum perturbationi; radices quondam in profundum actae terras in clivosis retinebant; cum hodie partium secretioni non obstent, humo dilapso saxa denudantur ; rarescunt pascua et ea quidem macescunt ; torrentes in vallem praecipites nec innoxii vehementius se dimittunt. Accedit eo quod pecora etiam, dum teneras virgas turionesque quotannis praerodunt, exitio sunt montium arboribus. His de causis silvae abusque priscis temporibus multo minores factae sunt. Nunc mons *Majella* solus nemoribus adornatur, ceterique montes nudi sunt et propemodum omni fronde spoliati. Sed non est dubium quin in multis locis ubi nostra aetate arbor nulla apparet, antiquitus stirpes frondesque exstiterint. Arborum genera pauca et notatione digna reperiuntur, scilicet quercus et robora, ilices

et castaneae, acaciae et populi, quas nemo nescit peculiares et vernaculas species esse septentrionalium regionum. Locorum altitudo temperaturaeque inclementia impediunt ne apud Paelignos feliciter ea gignantur plantarum genera quae alibi sub eadem caeli inclinatione suppetunt.

Cum solum in montibus ieiunum sit et frugibus inhabile, in planitie contra fertilitate terra excellit proventibusque abundat. In his Nasonis versibus licet patrius amor exsultet,

Et viret in tenero fertilis herba solo.
Terra ferax Cereris, multoque feracior uvae;
Dat quoque bacciferam Pallada rarus ager;
Perque resurgentes rivis labentibus herbas
Gramineus madidam caespes obumbrat humum (1);

non poeta tamen res ipsas verbis adauxisse videtur. Pinguem enim limum prioribus terris flumina et amnes per alluvionem ita adiecerunt, ut agri quibus assiduo subministratur aqua omni modo coli possint.

In umido sinu depressarum vallium abundat caespes fenumque semel et saepius unoquoque anno demetitur. Varias segetes edunt campi : frumenta, secale, et maxime avenas; agricolae quotannis messes duas peragere solent. C. Plinius Secundus dicit lino quoque Paelignos culturam adhibuisse : « Italia et paelignis etiamnum linis honorem habet, sed fullonum tantum in usu; nullum est candidius lanaeve similius (2) ». Nunc quoque linum et cannabis, quibus praesertim idoneum est uliginosum solum, prospere adolescunt.

(1) Ovid., *Am.*, II, 16, 6.
(2) Plin., *Hist. Nat.*, XIX, 1.

Colles mollesque clivi vinetis habiles putantur esse. Ovidius Paelignorum opimas vites laudibus effert: terra, inquit, multo feracior est uvae quam segetum, et alio loco *operosos vitibus agros* celebrat (1). Hoc testimonium a M. Valerio Martiali confirmatur : cuius ex verbis patet veteres paeligna vina in parvo pretio habuisse. Paeligni Marsique et Etrusci vinum cibarium faciebant, quod respuebat subtilium iudicum gula. In tertiodecimo libro, cui *Xeniorum* inditum est nomen, Martialis omnia Italiae vina enumerat: paelignum palato suo alienum esse et ad libertorum rusticitatem aptum :

Marsica Paeligni mittunt turbata coloni ;
Non tu, libertus sed bibat illa tuus (2).

In libro primo professus est se vini capacissimum, sed optimi :

Non haec paelignis agitur vindemia praelis ;
Uva nec in tuscis nascitur ista iugis (3).

Nec mirum est in paelignis arvis uvas deterrimae notae gigni, quippe quibus magnopere noceat caeli asperitas. In *Historia Naturali* scripsit Plinius Paelignos vineta rigare (4): qui mos ut vina fierent asperiora non parum addebat momenti. Errant enim longe qui existimant aquarum nimias inductiones vitibus prodesse ; pampini certo et uvae grandescunt, sed minuitur succi vis. Paeligni vini mediocris habitus vitiosae isti consue-

(1) Ovid., *Am.*, II, 16, 33.
(2) Martial., XIII, 121 : *Paelignum.*
(3) *Ibid.*, I, 27, 5.
(4) Cf. *supra*, p. 18.

tudini nihilo minus quam intolerandis frigoribus coniunctim attribui debet.

Ovidius inter frugiferas arbores solas oleas, Palladi dedicatas, commemorat, subiungitque eas raras esse. Oleae enim, quibus aestu solis et calore opus est, in locis tutis ac tepidioribus tantum proficiunt. Alia autem poma et arbores quasdam septentrionalium peculiares, ut malos, piros, cerasos, planities producit.

Apes quoque alebant Paeligni, ut apud Plinium legitur : « Summa quidem bonitatis natione constat (ut supra diximus) pluribus modis : aliubi enim favi cera spectabiles gignuntur, ut in Sicilia, Paelignis; aliubi mellis copia, ut in Creta, Cypro, Africa (1). » Et apud Calpurnium :

> Tam liquidum, tam dulce canunt, ut non ego malim
> Quod paeligna solent examina lambere nectar (2).

Manifesta causa est cur alvei colerentur. Floribus exuberant horti, in quos copiose affluunt aquae. Cum multos flores, uliginosas terras, amnes proximos apes requirant, cuncta erant in paeligna regione mellificio opportunissima.

Quanquam haud immerito Ovidius Naso almam patriae tellurem carminibus suis nobilitavit, arabiles tamen terrae in totum modica spatia occupant. Uberrimae sunt, fatemur, sed parum latae; circumscribunt eas et coangustant montes frugibus nudi. Paeligna rura plus sterilium locorum continent quam fertilium, nec in ipsis fertilibus quidem vita facilis est iucundaque.

(1) Plin., *Hist. Nat.*, XI, 14.
(2) Calpurn., *Eclog.*, IV, 154.

Nullo pacto conferri possunt cum felicissimis Campaniae arvis, quorum incolae propemodum sine ullo negotio omnia quae natura postulat expleta cumulataque habent. Hic contra laborem improbum caeli rigor culturaeque necessitates imponunt. Terra non sponte fructus edente, multa opera necesse est uti ad solum exercendum. Aquarum inductiones, quibus in agros fecundus humor infunditur, segetes, uvae, poma, silvae, pascua, multum temporis atque accuratissimam diligentiam deposcunt. Inde veteres Paeligni, pariter ac recentiores, qui ab eis descendunt, duram agebant vitam.

# PARS SECUNDA

## Paelignorum historia.

---

## CAPUT PRIMUM

### Qui fuerint Paeligni praeromanis temporibus.

Pro certo nunc creditur homines iam inde ab aetate lapidea dicta sabellicas regiones occupavisse. In iis enim inveniuntur arma instrumentaque lapidea, hominum manu et opera laborata. Neminem fugit unam praesertim e picentinis vallibus (*valle della Vibrata*) magnum attulisse proventum (1). Sed apud Paelignos quoque, ut apud ceteros Italiae mediae populos, parva huiusdem aetatis monumenta reperta sunt. *Aless. Colaprete*, qui pagum nunc *Campo di Giove* vocatum incolebat, fere trecenta arma vel instrumenta (sagittarum aculeos, cuspides, cultros, radulas) in montis *Majella* lateribus collegerat (2). Plura pariter *Graziani* in ad-

(1) Giov. Capellini, *l'Età della pietra nella valle della Vibrata*, Bologna, 1871 ; — Concezio Rosa, *Ricerche di archeologia preistorica nella valle della Vibrata nell' Abruzzo Teramano*, Firenze, 1871.

(2) *Bullett. di Paletn. ital.*, 1875, p. 20 et 135 : « Non mancano inoltre prove evidente che altri e molti luoghi d'abitazione dell'età della pietra abbiano a rinvenirsi in punti diversi di quella parte dell' Abruzzo. » (Pigorini).

versa paelignae regionis parte, circa Betifulum, invenit (1). Nonnulla denique *Ant. de Nino* Sulmonensis diversis in locis (*Pescocostanzo*, *Scanno*, *Pratola Peligna*, *Prezza*, *Bugnara*, *Vittorito*, *Introdacqua*, *Campo di Giove*, *Pacentro*, *Pettorano*) comparavit (2). Homines praehistoricis temporibus montium fastigia inhabitabant. Aetatis igitur lapideae monumenta in montibus deprehenduntur. Praecipua eorum quae in sabellicis terris reperta fuerunt duo sunt perforati mallei, nunc Romae in Praehistorico Museo depositi; unum 0,13 cm. longum, 620 grammata pendentem, in pago *Lama de Peligni* invenerunt, alterum 0,175 mm. longum, 1530 grammata pendentem, in pago *Lettopalena*; posterior maximus est omnium lapideorum malleorum qui in italica paeninsula exstant (3). In orbem circumactum foramen reservatum erat ad ligneum manubrium accipiendum. Pagi *Lama* et *Lettopalena*, monti *Majella* applicati, haud longe ab antiquis paelignae regionis finibus absunt. Maximam lapidearum securium in Italia repertarum, nunc pariter Romae in Praehistorico Museo depositam, comparavit *Rod. Fonteanive* circa pagum *Caramanico* (4). Mons *Majella* igitur in numerum Italiae locorum qui vetustissime inculti sunt ducendus est.

Sero tamen scriptores primum Paelignos memorant. Auctor est Titus Livius anno 411 ab Urbe condita, 343 a. C. n., Latinos, exercitibus iam comparatis, bellum

(1) *Ibid.*, 1876, p. 226.

(2) *Ibid.*, 1879, p. 64.

(3) *Notiz. d. Scavi*, 1896, p. 73; — *Bullett. di Paletn. ital.*, 1896, p. 12, 266, 301.

(4) *Bullett. di Paletn. ital.*, 1888, p. 191.

repente in Paelignos vertisse (1). Nunquam antea populus ille partem ullam bellorum aut negotiorum quae ad Romanos ceterosque Italiae incolas pertinebant attigit, ignotus quidem in montibus suis et inglorius : quem deinde incessit superba cupido initia sua nobilitandi. Ovidius Naso et Silius Italicus usque a Troiugenis primordia Sulmonis repetunt : urbem, aiunt, Solymum quemdam, Aeneae comitem, condidisse:

Serus ab Iliacis, et post Antenora, flammis
Attulit Aeneas in loca nostra deos.
Huius erat Solymus Phrygia comes exsul ab Ida,
A quo Sulmonis moenia nomen habent (2).

Nomine rhoetaeo Solymus : nam dardana origo,
Et phrygio genus a proavo, qui, sceptra secutus
Aeneae, claram muris fundaverat urbem
Ex sese dictam Solymon ; celebrata colonis
Mox italis paulatim adtrito nomine Sulmo (3).

Fabulas garriunt poetae. Solymi, quorum nomen ad Sulmonis similitudinem accedebat, in Asia Pisidiam incolebant (4). Italos iuvabat, imperatoria aetate, priscam suam historiam cum Graecorum amplissimis rebus miscere. Romanarum rerum initium a troico bello notabatur, et, cum futurae Romae situm Aeneas ipse invisisset, singulae Italiae gentes aut urbes contendebant se originem ab Aeneae comitibus traxisse. Marsis item relatum est ex Asia profectos esse (5); quas fabulas subiecerunt patrius amor et verborum vicinitas, earum rationem numerumque minime habeamus.

(1) Liv., VII, 38.
(2) Ovid., *Fast.*, IV, 77.
(3) Sil. Ital., IX, 72.
(4) Plin., *Hist. Nat.*, V, 24. — Strab., XII, p. 573.
(5) Plin., *Hist. Nat.*, III, 108 ; — Sil. Ital., VII, 504.

Sex. Pompeius Festus, s. v° *Peligni,* dicit hunc populum illyricae stirpis esse : « Peligni ex Illyrico orti. Inde enim profecti ductu Volsimi regis, cui cognomen fuit Lucullo, partem Italiae occuparunt. Huius fuerunt nepotes Pacinus, a quo Pacinates, et Pelicus, a quo Peligni (1). » Ceterum in principio diversae gentes quae utramque Adriatici maris oram obtinebant iisdem moribus utebantur. Vasa armaque et ornamenta aetatis ferreae dictae in illyricis sepulcris reperta sunt quae communia quaedam habent cum priscorum italicorum sepulcrorum supellectile ; similitudines autem cognationem indicant (2). Fama erat ex Illyria exiisse nonnullos Italiae populos, ut Siculos, Peucetios, Liburnos, Pediculos, Venetos denique, quorum maximam partem recentiores externorum populorum decursiones in extremum paeninsulae compulerunt (3). Nihil est tamen quod peculiariter Paeligni pro Illyriis putentur. Veremur ne verborum intempestiva collatio Festum in errorem induxerit. Veteres commune nomen Pelasgorum imposuerant gentibus omnibus quae, ut ferebant fabulae, heroica aetate e Thessalia egressae totam Graeciam, Illyriam, Italiam, Hispaniam per ordinem occupaverunt (4). Eadem basis *Pel* — in *Pel-asgis Pel-ignis*que inesse videbatur ; Pelasgi in Thessalia *Pel-innam* urbem aedificave-

(1) Fest., p. 222.

(2) Mariani, *Aufidena, Ricerche storiche ed archeologiche nel Sannio settentrionale*, in : *Monum. ant. dei Lincei*, t. X, 1901, p. 392.

(3) Fréret, *Recherches sur l'origine et l'ancienne histoire des différents peuples de l'Italie*, in : *Hist. de l'Acad. des Insc.*, t. XVIII, 1753, p. 72 ; — Micali, *Storia degli antichi popoli italiani*, Firenze, 1832, t. I, p. 188 ; Fr. Pullé, *Profilo antropologico dell' Italia*, Firenze, 1898, p. 12.

(4) Bruck, *Quae veteres de Pelasgis tradiderint*, 1884.

rant; *Pel-inam* deam venerabantur Paeligni. Sibi persuaserunt eruditi Romani unum e Pelasgis, nomine Pelicum, Paelignorum progenitorem fuisse; quae opinio auctoritate caret, nam vocabula inter se comparata prosodia dissentiunt; in his verbis (*Peligni* vel potius *Paeligni* (1), *Pelina* dea) syllaba *Pel* — longa est, in illis (*Pelasgi*, *Pelinna* urbs) brevis. Quae cum ita sint, Paelignorum nomen profecto ab alia basi ductum est quam nomen Pelasgorum. Fortasse priscis temporibus populi parum noti, nomine Pelasgi, qui Mediterranei maris litora paene omnia peragraverant, in paelignas quoque terras irruperunt. Quos iniuria credebant veteres regioni nomen suum dedisse, quasi Paeligni Pelasgi essent ex Illyria emigrati.

Alio modo civium suorum origines Ovidius, in tertio libro *Fastorum*, explicat. Quartum anni mensem, inquit, Paeligni, perinde ac Sabini, Marti deo dedicaverant:

> Et tibi cum proavis, miles Paeligne, Sabinis
> Convenit... (2)

In numero gentium e sabina stirpe oriundarum Paelignos ducit poeta. Ea quidem opinio ad verum propius accedit. Antequam Romani imperium suum ad maris Adriatici litus protulere, Italiam mediam finitimi affinesque populi tenebant, Paeligni, Marsi, Marrucini, Vestini, Frentani, quos omnes pariter Sabellos nominatos continuabant septentrionem versus Sabini, meridiemque versus Samnites. Sed vocabula Sabini, Sa-

(1) Cf. Orelli, *M. Tullii Ciceronis opera*, t. II, 2, p. 997.
(2) Ovid., *Fast.*, III, 95.

belli, Samnites eamdem basim *Safn*-aut *Sabn*-habent, qua exstitere in dialectis oscis verba *Sabniom*, *Safniom*, *Safineis*, etc. (1). Nihil aliud erant Sabini Sabellique et Samnites nisi eiusdem italicae stirpis rami tres distincti, inter quos antiquiores habebantur Sabini, παλαιότατον γένος καὶ αὐτόχθονες, ut ait Strabo (2). Falso equidem existimabantur Sabini autochtonum vel aboriginum appellatione digni. Populi qui Italiam historicis temporibus occupabant e remotissimis Asiae regionibus orti, cum aliis nunc Indo-Europaeis vocatis, post longos errores potiti erant paeninsula, ubi denique domicilium constituerunt. Sabini septentrionalem Apennini medii partem armis possederunt condideruntque urbes, Reate et Amiternum. Memoriae proditum est ex iis unamquamque sabellicarum et samniticarum gentium initium suum traxisse.

Hoc erat in more positum institutoque Sabinorum ut vere iuvenes patria cederent fortunamque alibi tentarent : « Ver sacrum vovendi mos fuit Italis. Magnis enim periculis adducti vovebant quaecumque proximo vere nata essent apud se animalia immolaturos. Sed, cum crudele videretur pueros ac puellas innocentes interficere, perductos in adultam aetatem velabant atque ita extra fines suos exigebant (3) ». Unusquisque sabellicorum et samniticorum populorum nomen cepit aut ex aliquo deo, quem habebat propitium, aut ex ani-

(1) Cf. G. Herbig, *Bericht über die Erforschung der altitalischen Sprachdenkmäler*, 1894-97, in : Bursian, *Jahresbericht*, 1900, III Abth., p. 20.

(2) Strab., V, p. 228.

(3) Festus, p. 379. — Cf. Dionys., I, 16 ; — Strab., V, p. 250 ; — Servius, *ad Aen.*, VII, 796, etc.

mali diis consecrato, quod itineris dux rectorque fuerat. Cum Sabini praesertim Martem vel Mamertem colerent (1), cui adscriberentur picus et lupus, Picentes a pico, sacra avi, dicebantur, et Hirpini ab hirpo, — sic enim lupum appellabant. Vestini Vestae deae, patronae et custodis gentis, nomen sibi induerant, Paelignique forsitan Pelinae.

Ex eo quod de antiquis Paelignis cognoscimus constat eos propinquitate Sabinos Samnitesque contingere. Perpauca tamen vestigia reliquerunt, dirutos oppidorum muros, sepulcra, dialecticos titulos.

In summis Italiae mediae montibus rudera veterrima opere polygonio fabricata exstant, quae diu falsoque antiquitatis periti cyclopeos vel pelasgicos muros praedicaverunt. Ea nempe neque commenticii Cyclopes neque mythici Pelasgi exstruxerunt, sed ipsi italici populi e Sabinis prognati, quippe quae in omnibus regionibus observentur quas Sabini, Sabelli, Samnites incolerent ; ubique genus idem structurae, eamdemque speciem praebent (2). Ex ingentibus rudibusque constant lapidibus, superpositis tantum neque conglutinatis. Alta moenia, nunc corrupta, montium fastigium circumdabant. Tenues eorum reliquias viatores notare queunt. Satis habeamus aliquot exempla proferre. Polygonios muros oculis nostris subiciunt apud Marsos

(1) Cf. Marsorum, Marrucinorum, Marrubii civitatis nomina. Mamertinos quidem in ipsa Sicilia invenimus.

(2) Cf. Petit-Radel, *Recherches comparées des témoignages topographiques qu'ont laissés sur le territoire de Rieti les anciens peuples aborigènes, Pélasges, Equicoles*, in : *Ann. dell' Instit.*, 1832, p. 1 et p. 233 ; — Bunsen, *Carta del sito dei piu antichi stabilimenti italici nell' agro reatino e le sue adiacenze*, in : *Monum. ined. dell' Instit.*, t. II, 1832, tab. I.

Alba Fucens (1), *Luco* (nemus Angitiae) (2), *Ortona* (3), apud Vestinos *Civitaretenga* (4), apud Caracenos Aufidena (*Alfedena*) (5) et *Castel di Sangro* (6). In paeligna regione *Ant. de Nino* omnia polygonii operis rudera diligentissime inquisivit, indicemque scripsit recentiorum urbium vel pagorum, in quo ea reperimus : *Roccacasale*, *Introdacqua*, *Prezza*, *Raiano*, *Vittorito*, *Canzano*, *Sulmona*, *Pacentro*, *S. Benedetto in Perillis* (7).

Difficillime intellegi potest ad quem usum reservata essent haec polygonia moenia. Spatium enim quod usquequaque murorum circuitus complectitur angustius est quam ut urbem contineat. *Mommsen* iure arbitratur lapidea saepta arces esse vel oppida, quo, imminentibus periculis, incolae circumiacentium camporum se reciperent (8). Paeligni, cum ea aedificaverunt, vicatim (κωμηδόν) dispersi per agros (9), urbes nondum habebant.

Omnibus fere in sabinis sabellicisque et samniticis regionibus inventa sunt multa aetatis ferreae dictae sepulcra, in quibus varia et copiosa supellex inest, eiusdem semper notae. Haec autem sepulcra ut alibi, ita

(1) Fernique, *de Regione Marsorum*, Lutetiae Parisiorum, 1880, p. 47.
(2) *Ibid.*, p. 65.
(3) *Notiz. d. Scavi*, 1892, p. 240.
(4) *Ibid.*, 1896, p. 169.
(5) L. Mariani, *op. cit.*, p. 235.
(6) *Ibid.*, p. 253.
(7) Ant. de Nino, *Archeologia leggendaria*, Torino, 1886, p. 35.
(8) Mommsen, *Hist. rom.*, trad. franç., t. I, p. 52.
(9) Strab., V, p. 242 : κωμηδὸν ζῶσιν. — Fest., s. v° *Vici*, p. 167 : « Vici appellari incipiunt ex agris qui ibi villas non habent, ut Marsi aut Peligni. »

et apud Latinos Romae montibusque in albanis, et apud Frentanos circa pagum *Borello*, et apud Picentes in amnis *Vibrata* valli et in collibus *Colli di Tronto* vocatis, et apud Vestinos circa pagum *Paganico*, et apud Samnites Allifarum, et apud Campanos Suessulae, et apud Apulos Herdoniae supersunt (1). Eorum multa milia apud Caracenos Aufidenae exstant, e quibus adhuc mille et quadringenta perscrutata fuerunt. *L. Mariani* nuperrime magnum et eximium librum Aufidenae sepulcris dedicavit (2). Ex iis indicia de sabellicorum populorum in aetate ferrea moribus cultuque elicere, non sine eventu, conatus est. In paeligna item regione nonnulla sunt sepulcra. Statis temporibus publicae ephemerides, *Notizie degli Scavi* et *Bullettino di Paletnologia italiana*, inventiones, ut quaeque intervenit, commemoraverunt, atque earum mentionem fecit *L. Mariani* in libri sui capite quod *Confronti* inscribitur. Ecce locorum index ubi investigatores repererunt praeromana sepulcra aut saltem arma instrumentaque e praeromanis sepulcris olim effossa : *Sulmona* (3), *Scanno* (4), *Campo di Giove* (5), *Prezza* (6), *Peschio della Valle* (7), *San Benedetto in Perillis* (8).

Suessulae tria sepulcrorum genera *von Duhn* discre-

(1) L. Mariani, *op. cit.*, p. 371.

(2) L. Mariani, *op. cit.*

(3) *Notiz. d. Scavi*, 1897, 67 (*Ponte dei Facchini*); 1894, p. 386 (*S. Valentino* et *S. Bolognano*).

(4) *Ibid.*, 1898, p. 424.

(5) *Ibid.*, 1896, p. 238.

(6) *Ibid.*, 1894, p. 317.

(7) *Ibid.*, 1894, p. 317.

(8) *Ibid.*, 1892, p. 484.

verat, quae aetate inter se distant (1); ea Aufidenae pariter agnovit *Mariani* (2). Homines primum, terra effossa, mortuorum corpora et funebrem supellectilem ipsi humo sine ulla exornatione inferebant; circumcluserunt postea excavatum locum parietibus lapideis; quibus tandem successerunt parietes e tegulis ficti. Primae vetustiorisque formae sepulcra locupletiora esse solent. Non est dubium quin si maior sepulcrorum numerus in paeligna regione repertus fuisset, eamdem generum temporumque distinctionem notare potuissemus.

Aufidenatium supellex omnis in urbano Museo asservatur: Paelignorum contra passim dissipatur. Specimina aliquot habet Romae Praehistoricum Museum, plura Aufidenae urbanum Museum, arma scilicet instrumentaque apud Betifulum reperta (3), plurima denique Sulmone parvum Museum a Sulmonensibus superbe Paelignum Museum nuncupatum, ubi aegre diligens rerum distributio locorumque e quibus res ipsae ablatae fuerunt indicatio desiderantur.

E vasis, ornamentis, armis sepulcrorum supellex constat.

Ad mortuorum latus tunc collocabantur ollae, paterae alimentis refertae, pocula, urnae, quia mortui putabantur donis cibisque egere. Hunc morem Paeligni usque in romanam aetatem pie servaverunt. Ollae enim et paterae ad funebres cibos accipiendos destinatae Corfinii in sepulcris imperatoria aetate exstructis repertae fue-

(1) Von Duhn, *Bullett. dell' Inst.*, 1878, p. 149; 1879, p. 152.
(2) L. Mariani, *op. cit.*, p. 380.
(3) *Notiz. d. Scavi*, 1898, p. 428; — L. Mariani, *op. cit.*, p. 374.

runt(1). Fictilia aereave vasa in varios modos figurata sunt. Omnia quae accuratius elaborata fuerunt e regionibus externis arcessebant Paeligni, id est nimirum ex Italiae inferioris provinciis quibus Graeci perpolitam humanitate vitam, cultiores usus, artium exercitationem imposuerant. Pleraque verum, ex argilla crassa ficta, in ipsis montibus fabricata erant, similitudinem referentia italicorum vasorum quae persaepe alibi inventa sunt.

Mortui cum vestibus et ornamentis sepeliebantur. Ut longo iam tempore vestes in pulverem resolutae sunt, ita aerea ferreave ornamenta adhuc supersunt, inter quae praesertim conspiciuntur rigentes torques, e magnis cylindratisque aereis filis compositi, qui desinunt in anulos (2); — monilia e succini aut metalli micis collata (3); — armillae muricatim retortae (4); — catenulae metallicis, fictilibus aut vitreis globulis confectae cum parvis vasorum vel animalium simulacris pendentibus (5). Betifuli repertae sunt catenulae e complanatis et involutis filis conflatae, quae ibi ut Aufidenae mulieribus praecipuo ornatui erant (6). Ubique in oculos occurrunt curvatae fibulae, ad vestes inter se alligandas utilissimae.

In virorum sepulcris arma reperiuntur, ad tegendum aut ad nocendum destinata. E corporis munimentis citemus sabellicae galeae fragmenta, apud pagum *Cam-*

(1) L. Mariani, *ibid.*, p. 288.
(2) *Ibid.*, p. 300.
(3) *Ibid.*, p. 374.
(4) *Ibid.*, p. 373.
(5) *Ibid.*, p. 332.
(6) *Ibid.*, p. 374.
(7) *Ibid.*, p. 314.

*po di Giove* excepta (1); et rotundas laminas, geometricis schematibus ornatas, quas veteres phaleras nominabant; tribus aut quattuor huiuscemodi laminis, inter se terginis iunctis, loricae modo Sabellorum pectus protegebatur; phalerae apud Marsos, Picentes, Sabinos, Tuscos, Umbros et Aufidenates inventae sunt (2). Inter cetera arma notemus lanceas cuspidesque, cultros pugionesque et enses. Sic Romae Praehistoricum Museum tres aereos gladios habet, 0.62, 0.63, 0.65 cm. longos, e Marsicae regionis sepulcris aut ex ipso Fucino lacu egestos (3). Quartum autem, 0.65 cm. longum, *Ant. de Nino* prope pagum *San Benedetto in Perillis*, in sepulcro positum, quo cineres erant conclusi, comparavit (4), quod adhuc unicum cremationis apud Paelignos priscis ferreae aetatis temporibus exemplum adest; in ceteris omnibus sepulcris mortuorum corpora integra humata sunt. Crematio remotissimae aetatis indicium est.

Priscorum vero Paelignorum supellex in universum aestimanti ab Aufidenatium supellectile minime differre videtur. Sepulcra nobis hic et illic eiusdem cultus signa tradiderunt. Forte tamen, ut existimat *L. Mariani*, cum mores quorum Aufidenae suppeditarent monumenta iam inde a septimo a. C. n. saeculo usque ad tertium perduraverint, paeligna sepulcra hactenus explorata paulo antiquiora sunt. Quaecumque inventa sunt in paeligna regione veterrimarum rerum apud Caracenos repertarum similitudinem ferunt (5).

(1) *Ibid.*, p. 342 et 349.
(2) *Ibid.*, p. 373.
(3) *Bullett. di paletn. ital.*, 1886, p. 261.
(4) *Bullett. di paletn. ital.*, 1892, p. 97.
(5) L. Mariani, *op. cit.*, p. 373.

Lingua sermoque nihilo minus quam supellex manifestam inter Paelignos et conterminas gentes cognationem patefaciunt.

Antiqui italici populi variis dialectis utebantur, quas plerique grammatici in genera duo digerunt (1). Conspicuis enim notis inter se differunt Umbrorum et Oscorum linguae. Sabini Sabellique et Samnites in montibus iniquas illas regiones occupabant quae umbricas valles et oscas planities interiacent. Eorum igitur linguae, communiter sabellicae vocatae, medium locum obtinebant et coniunctim Umbrorum et Oscorum dialecticarum notarum participes erant. Gentes autem septentrionalem montium partem incolentes proprius ad Umbros accedebant, gentesque meridionalem partem incolentes propius ad Oscos. Nec ea mira est sabellicarum dialectorum varietas : ex ipsa regionum dispositione manat. Ut fines, iisdemque de causis, linguae nimis dividebantur.

Paeligna lingua, oscae similior, omnium est notissima (2). Sex et triginta paelignos titulos nunc habemus. Tot tantaque veteris italici sermonis monumenta neque apud Volscos, Marsos aut Marrucinos, neque apud Vestinos, Aequiculos aut Sabinos reperta sunt ; quas inscriptiones nuperrime ab idoneis scriptoribus, *von*

(1) Mommsen, *die Unteritalischen Dialekte*, Leipzig, 1850. — W. Deecke, *die Italischen Sprachen*, in : Gröber, *Grundriss der romanischen Philologie*, t. I, Strassburg, 1888, p. 335. — von Planta, *Grammatik der oskisch-umbrischen Dialekte*, Strassburg, 1897. — Conway, *the Italic Dialects*, Cambridge, 1897.

(2) Th. Bergk, *de Paelignorum sermone*, Halle, 1864-1867 ; — C. Pauli, *Altitalische Studien*, V : *das Weigedicht von Corfinium und die Sprache der Päligner*, Hannover, 1887 ; — von Planta et Conway, *opp. citt.*

*Planta* et *Conway*, collectas (1), alienum sit iterum perscribere.

Una tantum, inter pagos *Casteldieri* et *Goriano Sicoli* eruta, litteris non latinis confecta est (2). Versus eius alterna vice perducuntur a dextra ad laevam et a sinistra ad dextram (βουστροφηδόν). Usque ad hunc diem nondum intellegi potuit; vix licet singulas litteras agnoscere. Eam *von Planta* in numero antiquissimarum sabellicarum inscriptionum (*altsabellisch*), cum paucis aliis in Piceno inventis neque multum sane ab ea abhorrentibus, reponit. Remotissimae nempe aetatis esse videtur, nam cum Romanorum lingua nihil commune habet.

Paelignorum autem titulorum latinis litteris scriptorum maior pars Corfinii excepta fuit; inter quos praecipuus is quem *Ant. de Nino* anno 1877 effossum publicavit ea habet verba :

... *pracom*... | *usur. pristafalacirix. prismu. petiedu. ip. uidad* | *uibdu. omnitu. uranias. ecuc. empratois* | *clisuist. cerfum sacaracirix. semunu. sua* | *aetatu. firata. fertlid praicime. perseponas* | *afded. eite. uus. pritrome pacris puus. ecic* | *lexe. lifar. dida. uus. deti. hanustu. herentas* (3).

Insigne illud monumentum enodandum vehementibus controversiis et magnopere dissentientibus opinionibus praebuit materiam ; etenim ab aliis pro epitaphio, ab aliis contra pro carmine sacro vel caerimoniarum libello habetur. Interpretationes et translationes

(1) Von Planta, *op. cit.*, t. II, p. 544 ; — Conway, *op. cit.*, t. I, p. 235.

(2) Von Planta, *op. cit.*, t. II, p. 551, nº 281 *b*.

(3) *Ibid.*, p. 546, nº 254. — Cf. *Ibid.*, p. 658.

a *von Planta* et ceteris propositae audaciores sunt et periculosiores. Utcumque se res gerit, in inscriptione nomina insunt quae homines feminasque deosque indicant : *uranias*, *cerfum*, *semunu*, *perseponas*, *herentas*.

De alius tituli significatione disputaverunt grammatici :

*saluta scaifia.u* | *anceta cerri* (1).

Utrum hoc est donum deae Angitiae positum an antistitis Cereri adstrictae epitaphium? Eo verior esse videtur prior sententia quod Angitiae religio, quam Marsi, Paelignis affines, colebant, per omnes sabellicas gentes diffusa erat. Dea vocatur insuper *cerri*, id est *Cereria*. Basis *Cer*-vel *Cerf*-saepe in sabellicis verbis apparet. Quid, quod forte Angitia posterius Cereri similis messumque patrona dicta fuit ?

Plerique tamen corfinienses tituli in tumulis incisi erant (2), quorum *Pauli* et *Conway* duo genera discernunt (3) : alias enim cognomen abest, alias cognomen nomini additur :

*pes. pros. ecuf. incubat* | *casnar. oisa. aetate* | *c. anaes. solois. des. forte* | *faber* (4).

*c. heleuis l* | *rustix* (5).

Scalptores quidem nonnunquam adiecerunt patris vel patroni praenomen, et litteram *f* (filius) aut *l* (libertus). Simpliciora vero monumenta sunt quoque antiquiora.

(1) Von Planta, *loc. cit.*, nº 256 = Saluta Scaefia U [f.] Angitiae Cereriae.

(2) *Ibid.*, nis 255, 257-272.

(3) Pauli, *op. cit.*, p. 22 ; — Conway, *op. cit.*, t. I, p. 245.

(4) Von Planta, *loc. cit.*, nº 255 = ... hic incubat senex usa aetate C. Annaeus omnibus dives fortis faber.

(5) *Ibid.*, nº 257 = C. Helvius L. [f] Rusticus.

Sulmone et in vicinis locis reperta fuerunt eorumdem generum epitaphia (1) cum titulis quattuor Angitiae Cereriae dicatis (2). Angitia semel aliis diis consociatur :

*saluta. musesa. pa* | *anaceta. ceria* | *et. aisis. sato* (3).

Aeneae laminae quibus in deorum honorem inscripti erant duo tituli perierunt, sed eorum exstat exemplum. Prioris in initio legimus :

... *cia. pacia minerua* (4).

In fine alterius :

*iouiis.* | *puclois sest. a. plens* (5).

De Ioviis pueris agitur: in capuano titulo Venus Iovia nuncupatur (6).

Ultimam celeberrimamque sulmonensem inscriptionem *C. Pascal* sepulcralem esse putabat (7). *Von Planta* nihil ausus est asserere, excepto quod verba quaedam agnovit :

... *hospus pelegie*... | ... *xat. mat. m*... *sicu.* | ... *men*... *cua*... *pus ual*... | ... *famel. inim. loufir* | ... *peo*... *s pac*... *d* (8).

*Ant. de Nino* apud *Raiano* epitaphia duo comparavit (9), apud *Pratola Peligna* autem epitaphium (10) et

(1) *Ibid.*, n[is] 247 — 250 *a*.

(2) *Ibid.*, n[is] 246 *a*, *b*, *c*, et : *Notiz. d. Scavi*, 1899, p. 275.

(3) Von Planta, *loc. cit.*, n° 246 *a* = Saluta Mussedia Pa. [f.] Angitiae Cereriae et diis sanctum.

(4) *Ibid.*, n° 246 = Lu]cia Pacia Minervae.

(5) *Ibid.*, n° 245 = Ioviis pueris statuerunt.

(6) *Ephem. epigr.*, t. VIII, 460.

(7) C. Pascal, in : *Notiz. d. Scavi*, 1895, p. 251.

(8) Von Planta, *loc. cit.*, n° 246 *d* = ... hospes pellige | ...... hos]pes vale... | famulus et liber......

(9) *Ibid.*, n° 252, et : *Notiz. d. Scavi*, 1894, p. 195.

(10) Von Planta, *loc. cit.*, n° 251 *a*.

titulum magistratus ubique in Sabellorum et Samnitium regionibus meddices tuticos dictos commemorantem :

*medix. aticus* | *biam. locatin* | *p. sadries. t* | *u. popdis. t* (1).

In inscriptione apud *Molina* inventa fanum Herculi consecratum nominatur :

*a...* | *t. nounis...* | *l. alafis. c* | *herec. fesn* | *upsaseter* | *coisatens* (2).

Maxima est in dialecticis paelignae regionis titulis obscuritas. Si litterarum vis nihil habet dubitationis, verborum sensus inscriptionumque natura et usus nos plerumque fugiunt. Haec igitur documenta ad prisci populi mores pernoscendos parum afferunt lumen.

Ceterum, recentia sunt omnia. E litterarum L, P, A, O figura patet, ut opinatur *von Planta*, peritissimus valde iudex, nullum inter ea ante annum 554 ab Urbe condita, 200 a. C. n., scriptum fuisse, pleraque autem ab anno 130 a. C. n. ad annum 80 circiter composuisse Paelignos. Litterae enim latinae sunt : in iis sine dubio apud Paelignos haud secus ac Romae per tempora mutatum est et variatum (3).

Non erit igitur mirandum si dialectici tituli verba ipsa nonnunquam de latino sermone assumpserunt ; citari possunt, exempli causa, vocabula *aetate*, *incubat*, etc., et notae *f* (id est : filius), *l* (id est : libertus). Per totam Italiam paulatim Romanorum lingua increbuerat. Sed iure optimo a *Mommsen* animadversum

(1) *Ibid.*, n° 251 = Meddices tutici iam... P. Satrius T. [f.], U. Popidius T. [f].

(2) *Ibid.*, n° 253 = a... T. Nonius... L. Alfius C. f. Herculi fanum operaretur curaverunt.

(3) Von Planta, *op. cit.*, t. I, p. 20. — Cf. Mohl, *Introduction à la chronologie du latin vulgaire*, Paris, 1900, p. 103.

est veteres scripturas citius quam sermones evanescere, moribundasque dialectos victricis linguae litteris aliquantisper uti (1). Quamobrem in hac regione, ut in ceteris sabellicis regionibus, e titulis, omnibus praeter unum latinis litteris confectis, nunc etiam quae fuerit antiqua dialectus sentire licet. Huius notas grammatici accuratissime inquisiverunt (2), e quorum investigationibus apparet paelignum sermonem potissimum cum Oscorum lingua consonare. Osci Paelignique pariter diphtongos *ai* et *ae* retinent, litteram *s* inter duas vocales conservant, omnino *rr* pro *rs* et *o* pro *u* supponunt, nusquam autem *ht* pro *ft*, *nt* pro *nd*, etc. Attamen quibusdam in locis paeligna dialectus cum umbrica congruit : ablativum casum *e*, neque *ud*, ut in osca lingua indicat ; *e* interim in vicem dipthtongae *ei* supponitur ; vocabulum *inom* umbrici vocabuli *enom*, neque osci *inim*, memoriam refert, etc. Corfiniensis vero titulus ubi verba *pristafalacirix* et *herentas* legimus similior est Umbrorum linguae quam ceterae paelignae inscriptiones ; hic enim invenitur *Cerfum* (umbr. : *Serfo*, osc. : *Kerri*). Cuius contaminationis causa fuit paelignae regionis geographica condicio. Sabellici enim universi populi, inter Oscos et Umbros positi, in dialectis suis formas ab his et illis adscitas habebant atque ab osca lingua ad umbricum sermonem transitum, ut ita dicam, faciebant.

Paeligni tituli nihil fere certum nisi hominum et deorum nomina nobis tradiderunt.

Eaedem saepe hominum vel mulierum appellationes hac in regione praeromanis romanisque temporibus

(1) Mommsen, *die Unteritalischen Dialekte*, p. 335.
(2) Von Planta, *op. cit.*, t. I, p. 18.

usurpatae fuerunt. Ex indicibus quos conscripserunt *von Planta* (1), *Conway* (2), auctoresque Corporis Inscriptionum Latinarum (3), intellegi potest cognomina quaedam et gentilicia nomina, in ceteris imperii romani partibus rariora, apud Paelignos creberrime in oculos occurrere. Inter praenomina et cognomina haec saltem citemus : *Saluta*, *Vibius*, etc. Notandae sunt gentes Acca, Alfia, Decria, Helvia, Mussidia, Petidia, Pontia, Scaefia, Titia, etc. Has appellationes, celebratas iam cum Sabelli sui iuris erant, aetatis quoque romanae inscriptiones ostendunt ; liberi Paeligni eas reliquerant nepotibus suis, dicionis alienae factis.

Quod ad deos attinet, infra scripta nomina in dialecticis titulis reperimus :

1° ANGITIAM, vetustissimam Italorum deam romanis temporibus adhuc cultam, Marsi praesertim venerabantur (4). Circa Fucinum lacum suppeditabant venenati angues, qui hominibus magnopere nocebant. Fama erat Angitiam incolis civitatis Marrubii dedisse artem serpentium carminibus angendorum (5). Maga postea, Medeae soror, dicta fuit (6). Lucum propter lacus oram Marsi Angitiae, vel potius Angitiis, dedicaverant (7) ; pagus hic assurgit, nunc etiam *Luco* nuncupatus. Tituli omnes qui Angitiam commemorant apud Sabellos re-

(1) VON PLANTA, *op. cit.*, t. II, p. 715.

(2) CONWAY, *op. cit.*, t. II, p. 250.

(3) C. I. L., IX, *Indices*, p. 703.

(4) Cf. *supra*, p. 49.

(5) SERV., *ad Aen.*, VII, 750.

(6) PLIN., *Hist. Nat.*, VII, 15 ; XXV, 11 ; — GELL., XVI, 11 ; — SIL. ITAL., VIII, 500.

(7) C. I. L., IX, 3885.

perti sunt ; nunquam ergo trans Apenninum huius deae religio diffusa fuit.

2° Angitia frequenter vocatur CERERIA, mulieresque eius caerimoniis praeponebantur. Latinam forsitan Cererem, frugum terraeque feracis patronam, et sabellicam Angitiam veteres in unam confuderunt. Sacerdotis Cererum praecipua corfiniensis inscriptio mentionem facere videtur. Italici populi deos habebant qui *Kerri* apud Oscos, *Cerfi* apud Umbros nominabantur (1). Eadem basis in utroque vocabulo et in ipso Cereris nomine inest. Cereres erant deae creantes, ut Genii gignentes dii, Semonesque dii serentes (2). Multiplices esse putabantur ; prisci Latini similiter multos *Juppiteres* (3) multasque Matronas aut Junones colebant.

3° HERCULI consecratum fuisse fanum refert titulus apud *Molina* inventus. Neminem latet Herculem, qui solis salutarem vim significat, in humanum genus beneficia congerentem, unum ex antiquissimis italicis diis fuisse (4). In multis Italiae mediae inscriptionibus, vel dialecticis, vel latinis, memoratur. Saepe cum Cereri consociatus erat, ut Romae cum Bona Dea.

4° Ultimum praecipui corfiniensis tituli verbum, HERENTAS, in deam, neque in mulierem, cadit. Etenim herculanensium duorum titulorum haec sunt verba :

*herentateis. sum* (5).

(1) Cf. BRÉAL, *Mém. de la Soc. de Linguist.*, t. IV, p. 142.
(2) BRÉAL, *Hercule et Cacus*, Paris, 1863, p. 60.
(3) VARR., apud TERTULL., *ad Nation.*, I, 10.
(4) BRÉAL, *op. cit.*
(5) VON PLANTA, *op. cit.*, t. II, p. 510, n° 117 *a* = Veneris sum.

*l. slabiis. l. aukil. meddiss. tuvtiks. herentat[ei. he] rukinai. pruffed* (1).

Exinde enodate apparet Herentatem esse Venerem ipsam, cui nonnunquam *Erucynae* cognomen indebatur. Hoc vocabulum ab *herest*, id est *volet*, Itali inflexerant. Nonne Latini Volupiam implorabant (2)?

5° Ioviis pueris sulmonense quoddam quattuor sacerdotum collegium monumentum statuit. In marrucina inscriptione prope *Rapino* inventa legimus :

*ioues* | *patres ocres tarin* | *cris iouias agine* (3).

Iuppiter autem, caeli aerisque deus, in summis cacuminibus adorabatur (4). Iovia erat Iuno, Iovis consors ; Iovii pueri genii erant e supremi dei divinitate libati.

6° Minervae nomen forte sulmonensis titulus continet. Tusci eam mentis humanae artiumque liberalium patronam profitebantur (5).

7° Persephone Corfinii semel invenitur. Tota graeca erat. Iovis Cererisque filia, Plutonis uxor, in Inferos regnabat. Peregrinae illius deae in paeligna regione praesentia contigit ex opere et effectu Graecorum, qui inferioris Italiae partes quasdam inhabitabant.

8° Semones multiplices potentesque dii erant, qui rerum principia serebant. Semoni Sanco separatim maximi tribuebantur honores (6). Hanc religionem

(1) *Ibid.*, n° 117 *b* = L. Stlabius L. [f.[ Aucilus meddix tuticus Veneri Erucinae probavit.

(2) Preller-Jordan, *Roem. Myth.*, t. II, p. 36, 37, 212.

(3) Von Planta, *op. cit.*, t. II, p. 548, n° 274.

(4) Aust, s. v° *Iuppiter*, in : Roscher, *Lexicon*, t. II, 2, p. 637.

(5) Preller-Jordan, *op. cit.*, t. I, p. 289.

(6) Preller-Jordan, *op. cit.*, t. II, p. 274.

Paeligni pariter assumpserant, Semonesque socios et comites addebant Cereribus.

9° Urania Herentasque in eodem corfiniensi titulo memorantur. Romae prius vocabulum cognomen erat Veneris (1), quae naturam et generandi vim figurabat. Coniectura probabile est rem haud aliter hic se habuisse.

Dialecticis titulis usque ad hunc diem cognitis proferuntur neque Pelina, universae paelignae gentis patrona, cuius nomen in superaequana romanae aetatis inscriptione legitur (2), neque Laverna, cui pagus principum etiam temporibus sacratus erat (3), neque Mars vel Mamers, qui plurimis sabellicis populis civitatibusque nomen suum imposuerat (4).

Paelignorum profecto prisca religio, ut per totam Italiam fieri solebat, agrestis erat et rustica. Caeli et terrae, montium et agrorum, fontium et amnium innumerabiles genios homines venerabantur. Deorum auxilio et opera plerique incolae parce ac duriter in illa regione iniqua et aspera agriculturae, pecuariae, ferarum pisciumque capturae se dedebant, assiduisque laboribus res sibi parabant ad cotidianum victum necessarias. Sepulcra inscriptionesque inventae indicio sunt omnibus perspicuo et planitiem tunc temporis iam habitatam esse et vicos in vallibus exstitisse. Munitissima oppida, quorum rudera opere polygonio fabricata oculis hic et illic obversantur, in summo montium fastigio assurgebant. Si liberi Paeligni Corfi-

(1) Preller-Jordan, *op. cit.*, t. I, p. 329.
(2) C. I. L., IX, 3314.
(3) C. I. L., IX, 3138.
(4) Cf. *supra*, p. 41.

nium, Sulmonem, Superaequum condiderant, urbes porro rarae erant et parvae.

Non est ut Paelignos ante romana bella aes argentum aurum publice signavisse arbitremur. Veterrima aera duo, unum in Mediolanensi Museo, asservatum, alterum Romae in Praehistorico Museo *Garrucci* descripsit (1), quae, propter verbum *Palacnus* aut *Palacinus* inscriptum, nonnunquam pro paelignis monetis falso habita sunt; sed ad hunc populum, ut opinatur *Garrucci*, non pertinent.

De institutis ac legibus fere nihil novimus. Verba *meddices tutici* in titulo quodam leguntur. Meddices tutici, per suffragia renuntiati, qui ubique apud Sabellos et Oscos supremum magistratum gerebant, sine dubio hac quoque in regione praeerant reipublicae. Populi constitutio rudis et inchoata fuisse videtur. Tantum aberat ut e diversis civitatibus pagisque una et pacata gens exstaret, ut contra e locorum in separatas partes divisione morumque nimia acerbitate perpetua dissidia orirentur. Urbs nulla adeo praepollebat ut imperium suum imponere potuerit. Armis decernebantur certamina quae Paelignos cum vicinis aut inter se ipsos componebant.

E verbis Titi Livii parum lucidis conici potest quattuor sabellicos populos sociale foedus sanxisse. Anno 432 ab Urbe condita, 322 a. C. n., Romanos Vestinis, qui se cum Samnitibus coniunxissent, bellum non ausos esse indicere : « Quanquam nova res tanta cura patres incessit, ut pariter eam susceptam neglectamque

(1) Garrucci, *le Monete dell' Italia antica*, Roma, 1885, p. 77, nis 28 et 29 ; — *Ibid.*, p. 97 : « Non fu costume dei Samniti di batter monete. »

timerent : ne aut impunitas eorum lascivia superbiaque, aut bello poenae expetitae metu propinquo atque ira concirent finitimos populos. Et erat genus omne abunde bello Samnitibus par, Marsi Paelignique et Marrucini ; quos, si Vestinis attingeretur, omnes habendos hostes (1). » Huic antiquae societati forsitan alludebant et Ennius :

Marsa manus, Paeligna cohors, Vestina virum vis (2),

et Cato maior : « Marsus hostem occidit prius quam Paelignus ; propterea Marrucini dicti, de Marso detorsum nomen (3) ». Sed saepissime fide foederati demovebantur. Hi aut illi alterna vice contra Romanos fecerunt, neque unquam, ante annum 664/90, ad universam Italicorum libertatem defendendam eodem tempore omnes conspiraverunt.

(1) Liv., VIII, 29.
(2) Ennius, *Ann.*, v. 532 (ed. *L. Müller*).
(3) Cato, *Orig.*, IV, apud Priscian., IX, 9, 51.

## CAPUT SECUNDUM

### **De Paelignorum cum libera Romanorum republica contentionibus et societate.**

Paeligni quarto saeculo a. C. n. externis negotiis periculosisque bellis interesse inviti coeperunt. Anno 411/343, ut iam diximus, Latini arma in eos repente verterunt (1). Romae aliquanto post L. Annius Setinus, Latinorum praetor, certaminis causam in medium protulit : « Bellum nostro nomine cum Paelignis gessimus; qui ne nostrorum quidem finium nobis per nos tuendorum ius antea dabant, nihil intercesserunt (2). » Sidicini Campanique cum Latinis consentiebant : « Ex his tot populis unus ingens exercitus duce latino fines Samnitium ingressus plus populationibus quam proeliis cladium fecit (3). »

Romanos res adverterat : hinc iam necesse est Paelignos ab iis salutem suam tueri. Quod si Tito Livio credimus, cum Romanis primum concordes vixerunt. Anno 414/340, T. Manlio Torquato et P. Decio Mure

(1) Liv., VII, 38 : « Et Latinos, iam exercitibus comparatis, a romano in paelignum vertit bellum. » — Cf. supra, p. 36.

(2) Liv., VIII, 4.

(3) *Ibid.*, 2.

consulibus, liberum dederunt iter exercitui qui adversus Latinos Campanosque in agro capuano considentes pergebat : « Consules, duobus scriptis exercitibus, per Marsos Paelignosque profecti, adiuncto Samnitium exercitu, ad Capuam, quo iam Latini sociique convenerant, castra locant (1). » Sed dissimili ratione expeditionem hanc enarrat Dionysius Halicarnassensis : Οἱ δὲ τῶν Ῥωμαίων ὕπατοι, πᾶσαν τὴν μεταξὺ γῆν ἀδεῶς διελθόντες, τῶν μὲν οὐκ ἐναντιουμένων, τῶν δὲ συμπροπεμπόντων · πολλαὶ δέ εἰσι δυσχωρίαι κατὰ τὴν ἐκ Ρώμης εἰς Καμπανίαν ἄγουσαν ὁδὸν, ὄρεσί τε καὶ τέλμασι καὶ θαλάτταις καὶ ποταμοῖς ναυσιπόροις διακλειόμεναι, ἃς οὐ ῥᾴδιον ἦν διελθεῖν ὑπὸ τῶν πολεμίων προκαταληφθείσας (2). Consules igitur praeter Tyrrhenum mare ierunt. — *Ett. Pais* nuperrime manifestam hanc scriptorum dissentionem interpretatus est: verum esse quod dixisset Dionysius ; Livium in errorem inductum esse fontibus unde hausisset ; Marsorum Paelignorumque terras Romanos reipsa transgressos esse, sed nihil de sabellicis regionibus, mediis in montibus positis, actum esse (3). Marsi quidam et Paeligni, finibus suis emigrati, in civitatibus collocaverant sedem, quas antea Volci, Hernici, Sidicini tenebant. Hernici interim Marsi dicebantur (4). Fregellas, Sidicinorum, deinde Volscorum, civitatem colonia Samnitium deducta fuerat (5) : et Samnites illi Paeligni erant, nam anno 577/177, ut ait Titus Livius, « Fregellas quoque milia quattuor familiarum transisse ab se Samnites Paelignique querebantur (6). » Nonne credendum est

(1) *Ibid.*, 6.

(2) Dionys., XV, fr. 4.

(3) « Tale notizia e interamente assurda. » Ett. Pais, *Storia di Roma*, Roma, 1898, t. I, 2, p. 253.

(4) Fest., p. 100 ; — *Schol. Veron. ad Aen.*, VII, 683.

(5) Dionys., XV, fr. 10 ; — Liv., VIII, 22 et 23.

(6) Liv., XLI, 8.

eorum catervas aliquas Volscorum agros iamdudum invasisse ?

Quae cum ita sint, Paeligni pariter, Latinis anno 411/343 oppressi, in Volscorum terris Latio continentibus habitabant (1). Auctor est Livius, ut supra vidimus, Romanos anno 432/322 bellum cum Vestinis recusavisse, ne metu propinquo atque ira finitimos populos concierent (2). Tunc demum germanorum Paelignorum, medios montes incolentium, nomen audierunt.

Mox autem senatus populusque romanus aggressus est imperium suum usque ad litus Adriaticum proferre montisque Apennini indomitas gentes redigere in dicionem. Certaminis vices parum cognitas habemus, veterumque scriptorum narrationes crebro subobscurae sunt. Quod ad Paelignos attinet, ex Diodori Liviique testimoniis concludi potest rem per summam contentionem actam fuisse, eosque acerrime vi illatae obnixos anno 445/309 a Romanis devictos esse : « Cum Samnitibus acie dimicatum... Secuti Marsorum defectionem Paeligni eamdem fortunam habuerunt (3). » Anno 449/305 pacem intervenisse : « De Aequis triumphatum ; exemploque eorum clades fuit ut Marrucini, Marsi, Paeligni, Frentani mitterent Romam oratores pacis petendae amicitiaeque ; iis populis foedus petentibus datum (4) ». Ea Livii verba Diodorus certiora ita facit : Ὁ δὲ δῆμος ὁ Ῥωμαίων πρός τε Μαρσοὺς καὶ Πελιγνοὺς ἔτι δὲ Μαρρουκίνους συμμαχίαν ἐποιήσατο (5). At locus alter Diodori, ad

(1) Ett. Pais, *loc. cit.*

(2) Liv., VIII, 29. — Cf. supra, p. 57.

(3) Liv., IX, 41.

(4) Liv., IX, 45.

(5) Diod., XX, 101.

paulo anteriora tempora pertinens, dubius est controversusque : Κατὰ δὲ τὴν Ἰταλίαν Ῥωμαῖοι μὲν Παληνίους καταπολεμήσαντες τὴν χώραν ἀφείλοντο καί τισι τῶν δοξάντων τὰ Ῥωμαίων πεφρονηκέναι μετέδωκαν τῆς πολιτείας (1). *Cluverius* et plerique recentiores scriptores Πελίγνους pro Παληνίους legunt; *Beloch* existimat Diodorum sic Vestinis alludere, qui in Aterni superioris valle Paelignis connectebantur (2). *Burger* Ἑρνικούς scribit (3), quod Hernicis data esset his temporibus πολιτεία quaedam, id est civitas sine suffragio, Paelignis contra sociis populi romani, non civibus, anno 449/305 factis. Sed huic sententiae *Ett. Pais* resistit (4). Quid est quod vocabulum Παληνίους mutetur ? Nonnulli Frentani vocabantur Paleni ; Pallanum erat urbs apud Sangrum flumen posita. Anno 449/305 Frentani cum Marrucinis, Marsis, Paelignis, ut ait Livius, pacem imploraverunt, quos Diodorus tunc silentio praetermittit, quia satis habet impetratam amicitiam indiligenti modo antea rettulisse.

Quidquid id est, Paeligni, quarto saeculo a. C. n. exeunte, sub iugum imperii romani subacti sunt. Prisca libertas evanuit. Tanta oboedientia Romanorum iussis dictisque audientes se praebent ut protinus anno 459/295, post cruentissimam ad Sentinum pugnam, « Samnitium agmen, cum per paelignum agrum fugeret, circumventum a Paelignis sit; ex milibus quinque ad mille caesi (5) » : Samnites tamen cum Sabellis, ex eadem stirpe oriundis, causam suam communicaverant.

(1) Diod., XX, 90.
(2) Beloch, *der Italische Bund*, Leipzig, 1880, p. 51.
(3) Burger, *de Bello cum Samnitibus secundo*, Harlemi, 1884, p. 88.
(4) Ett. Pais, *op. cit.*, t. I, 2, p. 417.
(5) Liv., X, 30.

Hinc iam in Italia tria hominum genera reperimus : cives romanos, Latinos, foederatos, quorum non par condicio (1). Sociis suis pactiones et amicitiam Roma armis imposuit. Romani soli plenum et integrum ius civile, conubium, commercium, legis actiones, cum suffragii honorumque iure, usurpant. Latini, ceteris civium praerogativis exclusi, conubii commerciique iure fruuntur. Cum singulis foederatis populis intercesserant peculiaria pacta, aut aequa, aut iniqua, quorum formula pro temporibus et circumstantibus rebus diversis modis perfecta est. Romani hos populos extra civitatem sine ullo temperamento continent. Unusquisque leges suas servat propriaqué iura, sed victoribus cogitur summam oboedientiam et omne obsequium praestare. In bello praesertim libertatis deminutio aperte patet. Militiam debent foederati, non in legionibus, e civibus romanis unice collectis, sed in auxiliis ; peditum cohortes equestresque alas consules dilectibus supplent ; sub imperium romanum socii se submittunt.

Senatus populusque romanus hoc sibi sumpsit ut Italiam totam et postea omnes circa Mediterraneum mare terras perdomaret. Acerbe exegit militiae munia. Paeligni saepissime inter auxilia conscripti sunt. Veteres scriptores eos cum vicinis consanguineisque Italiae mediae gentibus inter populos romanarum rerum consortes et participes numerant. Locum truncum ex Ennio poeta supra retulimus qui marsam manum, paelignam cohortem, vestinam vim commemorat (2). Cum Pyrrhus rex bello Romam peteret, Paeligni adversus eum ceteris

(1) Nissen, *Italische Landeskunde*, t. I, p. 68 ; — Beloch, *der Italische Bund*.

(2) Ennius, *Ann.*, v. 532 (ed. *L. Müller*).

Italis se coniunxerunt ; Dionysio auctore, proelio apud Asculum, anno 475/279 commisso, intererant : καὶ Μαρρουκίνους, καὶ Πελίγνους, καὶ Φρεντανούς (1). Polybius, qui indicem perscripsit sociorum anno 429/225, gallico tumultu repente decreto, Romanos subsidiis iuvantium, Marsis, Marrucinis, Frentanis, Vestinis nominatis, Paelignos omittit (2), sed casu profecto et neglegentiae causa. Paulo post enim gens ea rursus Romae auxilium attulit. Secundo punico bello, Romanorum fidem secuta, nunquam ab iis discessit.

Hannibal bis paelignam regionem transcurrit populavitque. Profectus e certaminis apud Trasimenum loco, « recto itinere per Umbriam usque ad Spoletum venit... in agrum picenum avertit iter... praetutianum hadrianumque agrum, Marsos inde Marrucinosque et Paelignos devastat (3) ». Cannensi pugnae adsunt Paeligni :

> Coniungitur acer
> Paelignus gelidoque rapit Sulmone cohortes (4).

Silius Italicus, qui hos versus scripsit, fabulam narrat, cuius primas partes Sulmonenses tenent. Satricus quidam, Libycis captus in oris, apud Poenos servitutem serviebat :

> Huic domus et gemini fuerant Sulmone relicti
> Matris in uberibus nati, Mancinus et una
> Nomine rhoetaeo Solymus (5).

(1) Dionys., XX, fr. 1.

(2) Polyb., II, 24.

(3) Liv., XXII, 9.

(4) Sil. Ital., VIII, 509. — Silius Italicus Corfinium Marrucinis falso attribuit : *Ibid.*, 519 :

> Marrucina simul, Frentanis aemula pubes,
> Corfini populos magnumque Reate trahebat.

(5) Sil. Ital., IX, 70.

Pridie Cannensis pugnae,

> Postquam posse datum Paeligna revisere tecta
> Et patrium sperare larem, ad conamina noctem
> Advocat, ac furtim castris evadit iniquis (1).

Filii eius sub romanis ducibus militabant. Corpori suo ignarus applicat arma Mancini, quem interfecerant Poeni. Illi occurrit alter natorum, Solymus, qui fratris corpus inter mortuos petit; filius patri vulnus exitiale infert :

> Tu nobile gestes
> Germani spolium ante oculos, referasque superba,
> Me spirante, domus Paelignae perfidus arma ?
> Haec tibi, cara parens Acca, ad solatia luctus
> Dona feram, nati ut figas aeterna sepulcro (2).

Pater tamen agnoscitur. Ingemescunt ambo. Satricus filio detegit Hannibalis proposita :

> Curarum tibi prima tamen sit, nate, referre
> Ductori monitus Paulo, producere bellum
> Nitatur, Poenoque neget certamina Martis (3).

Mox extremum effundit spiritum, et Solymus, postquam mananti sanguine patris mandata,

> Fuge proelia, Varro (4),

in clypeo signavit, seipsum interemit.

Veteres scriptores nonnunquam induxerunt fratrem aut filium fratri patrive vitam eripientem. Haec saltem

(1) *Ibid.*, 80.
(2) *Ibid.*, 114.
(3) *Ibid.*, 134.
(4) *Ibid.*, 175.

fabula haud inanis gratuitaque videtur. Pleraque nomina, Solymus, Acca, ad Paelignos reipsa pertinent. Sulmonensis gens illustris forsitan iactabat utilia consilia tunc frustra Romanis data ab uno ex eius avis.

Anno 543/211 memorabile facinus a paelignae cohortis praefecto factum est. Cum Romani Capuam, a Poenis occupatam, obsiderent, Cn. Fulvius Centumalus consul prohibere conatus est ne Hanno in urbem commeatus importaret. Hostium castra aggressus, Cn. Fulvius, proelio iam prospere exorso, cunctatur et militum cohibet impetum. « Proxima portae hostium erat cohors paeligna, cuius praefectus Vibius Accuaeus adreptum vexillum trans vallum hostium traiecit. Exsecratus inde seque et cohortem, si eius vexilli hostes potiti essent, princeps ipse per fossam vallumque in castra irrumpit (1). » Vibii Accuaei opera, secunda Romanis fortuna fuit pugnae. Paelignus erat ipse, nam sociorum cohortes ducebant praefecti quos consules e cuiusque foederatae regionis incolis delegerant (2). Ceterum in paelignis inscriptionibus nomina *Vibius* et *Accuaeus* inveniuntur. Hoc idem facinus, quod tamen alii tempori attribuit, Valerius Maximus refert : « Cum Hannibal Capuam, in quo romanus exercitus erat, obsideret, Vibius Accuaeus, paelignae cohortis praefectus, vexillum trans punicum vallum proiecit, se ipsum suosque commilitones, si eo hostes potiti essent, exsecratus, et ad id petendum, subsequente cohorte, primus impetum fecit (3). »

Hannibal iterum, post Capuam captam, paelignam regionem peragravit. Aedes Feroniae apud Romam spolia-

(1) Liv., XXV, 14,
(2) Liv., XXII, 24 ; — Sall., *Iugurth.*, 67 et 69.
(3) Val. Max., III, 2, 20.

vit donis : « Huius populatio templi haud dubia inter scriptores est. Coelius, Romam euntem ab Ereto, divertisse eo Hannibalem tradit, iterque eius a Reate Cutiliisque et ab Amiterno orditur; ex Campania in Samnium inde in Paelignos pervenisse, praeterque oppidum Sulmonem in Marrucinos transisse ; inde albensi agro in Marsos, hinc Amiternum Forulosque vicum venissé. Neque ibi error est, quod tanti exercitus vestigia intra tam brevis aevi memoriam potuerint confundi ; isse enim ea constat. Tantum id interest veneritne eo itinere ad Urbem an ab Urbe in Campaniam redierit (1) ».

P. Cornelius Scipio paulo post ad bellum Africae inferendum milites collegit : « Marsi, Paeligni Marrucinique multi voluntarii nomina in classem dederunt (2). »

Paeligni summam fortitudinis et bellicae virtutis habebant opinionem (3). Cum suam partem sustinuerint bellorum omnium quae Romani gentibus longinquis inferrent, bis tamen neque saepius scriptores eorum mentionem faciunt. In bello cum Perseo rege Macedonum gesto paeligna cohors sub L. Aemilio Paulo imperatore dimicavit. Salvius, huius praefectus, Pydnae anno 586/168 Vibii Accuaei facinus repetivit : « Duae cohortes

(1) Liv., XXVI, 11.

(2) Liv., XXVIII, 45.

(3) Sil. Ital., VIII, 510, *acrem Paelignum* celebrat. — Plin., *Hist. Nat.*, III, 12, 17 : « Sequitur regio quarta gentium vel fortissimarum Italiae. » — Strab., V, p. 241 : Ἔστι δὲ τὰ ἔθνη ταῦτα μικρὰ μὲν, ἀνδρικώτατα δὲ καὶ πολλάκις τὴν ἀρετὴν ταύτην ἐπιδεδειγμένα Ῥωμαίοις. — Veget., *de Re milit.*, I, 28 : « Neque enim degeneravit in hominibus Martius calor, nec effoetae sunt terrae quae Lacedaemonios, quae Athenienses, quae Marsos, quae Samnites, quae Paelignos, quae ipsos progenuere Romanos. » — Cf. Appian., *de Bell. civil.*, I, 46 : Οὔτε κατὰ Μάρσων, οὔτε ἄνευ Μάρσων γενέσθαι θρίαμβον.

a parte Romanorum erant, marrucina et paeligna... cumque diu multumque connisi perrumpere confertum agmen non possent, Salvius, qui Paelignos ducebat, arreptum signum in hostes misit... E victoribus ceciderunt non plus centum, et eorum multo maior pars Paeligni (1) ». Plutarchus eadem tradit : Σάλουιος ὁ τῶν Πελιγνῶν ἡγούμενος ἁρπάσας τὸ σημεῖον τῶν ὑφ' αὐτὸν εἰς τοὺς πολεμίους ἔρριψε κ.τ.λ. (2). Sex. Iulius Frontinus, de restituenda per constantiam acie disserens, his exemplis utitur : Servius Tullius, Furius Agrippa, T. Quinctius Capitolinus, cunctante exercitu, signum in hostes eiecerunt ; « Salvius Paelignus bello persico idem fecit (3) ». — In iugurthino bello Marius, anno 648/106, Sullam quaestorem ad Bocchum regem legat ut inter se de Iugurtha per insidias apprehendendo conveniant : « Is missus cum praesidio equitum atque peditum... ; praeterea sagittarii et cohors paeligna cum velitaribus armis, itineris properandi causa (4). »

Usque ad bellum sociale denuntiatum Paeligni, ut Marsi, Marrucini, Frentani, etc., in foederatorum populorum numero permanserunt, neque romanam ulla ex parte attigerunt civitatem. Sed iam romani mores in eis paulatim mutandis plurimum valebant. Titulum supra citavimus meddices tuticos duos commemorantem. Cum Romae ratio esset ut semper imperium potestasque magistratuum collegiis traderentur, hoc institutum in Sabellos quoque invaserat (5). Socii sponte sua ad exem-

(1) Liv., XLIV, 40.
(2) Plutarch., *Aemil. Paul.*, 20.
(3) Frontin., *Strategemat.*, II, 8, 4.
(4) Sall., *Iugurth.*, 106.
(5) Beloch, *op. cit.*, p. 159.

plar Urbis res publicas componebant. Litterae latinae in ipsis dialecticis inscriptionibus usurpatae magno sunt documento quo modo per Italiam romana disciplina manaret. At *Mommsen* et *Nissen* non recte contenderunt latinum sermonem circa primum a. C. n. saeculum ineuntem statim omnino in usu fuisse (1). Latinus titulus nullus huius aetatis in paeligna regione repertus est monetaeque foederatorum in sociali bello signatae latinas et oscas pariter inscriptiones ferunt. Senatus populusque romanus victorum linguas nondum insectabatur (2) ; sociis ius erat sermonem proprium cum liberis legibus servare.

Sociale vel marsicum bellum maximi momenti fuit ac ponderis (3). Diodori Siculi verbis utamur : Οὗτος γὰρ πάντας τοὺς προγεγονότας ὑπερϐάλλετο ταῖς τῶν στρατηγῶν ἀνδραγαθίαις καὶ τῷ μεγέθει τῶν πράξεων (4). Tunc Italia tota romana facta est. Romani linguam suam, mores et instituta simul omnibus italicis populis indixerunt (5). Paeligni magnas belli susceperunt partes : unam ex eorum urbibus nunquam antea memoratam, Corfinium, socii universi foederis caput elegerunt.

Romani ipsi posterius intellexerunt italici tumultus materiam gravem fuisse et legitimam. Velleius Paterculus ait : « causa fuit iustissima (6) », et L. Annaeus Iulius Florus : « ius civitatis socii iustissime postula-

(1) Mommsen, *die Unteritalischen Dialekte*, p. 344 ; — Nissen, *op. cit.*, p. 69.

(2) Mohl, *Introduction à la chronologie du latin vulgaire*, p. 92.

(3) Kiene, *der Römische Bundesgenossenkrieg*, Leipsig, 1845 . — Mérimée, *Etudes sur l'histoire romaine*, I, *la Guerre sociale*, Paris, 1841.

(4) Diod., XXXVII, 1.

(5) Cf. Mohl, *op. cit.*, p. 151.

(6) Vell. Paterc., II, 16.

bant (1) ». Immo Itali maxime gloriati sunt se arma movisse et aequis eorum expostulationibus ad extremum plane satisfactum fuisse :

Paelignae dicar gloria gentis ego,
Quam sua libertas ad honesta coegerat arma,
Cum timuit socias anxia Roma manus (2).

Foederati populi ius romanae civitatis deposcebant. Cum res romana in dies augeretur, nullam utilitatem e magnitudine quaesitae dominationis percipiebant ; onera omnia in eos vertebantur, fructus et honores unice civium erant. Milites e quaque gente assidue conscribebantur. In Graeciae aut Hispaniae, Asiae aut Africae campis multum italici sanguinis fusum fuit. Sed Romani gratiam haudquaquam referebant ; dignitatis suae diligentissimi custodes, contemnebant socios qui vitam pro iis profundebant. Itali, a civitate exclusi, romanorum magistratuum infinitae potestati et libidinibus obiecti (3), expetebant ut ex aequo et bono ageretur. Nonnullae urbes conturbatae, inter quas Fregellae, anno 629/125 rebellione facta, saevissimas poenas persolverunt (4) : quas compertum iam habemus a Paelignis incultas esse (5). Ti. Gracchus et C. Gracchus, Marius, Livius Drusus ceterique popularis factionis duces praesidium suum sociis polliciti erant ; sed omnes conciderunt ; quid quod leges ipsae agrariae quas rogaverant in italici soli possessionem imminebant ? Operam dabant Romani

(1) Florus, III, 19.
(2) Ovid., *Am.*, III, 8.
(3) Cf. C. Gracch., apud Gell., X, 3.
(4) Liv., LX, *Epit.* ; — Vell. Pat., II, 6 ; — Val. Max., II, 8, 4.
(5) Cf. *supra*, p. 60.

ne Itali civitatem penetrarent, legesque plurimae ad hoc ipsum promulgatae sunt. Caedes Drusi, Italorum gratia et opibus palam subnixi, universam seditionem concitavit.

Anno 644/90 Q. Servilium proconsulem Picentes interfecerunt. Italiae mediae populi ad arma statim ierunt, in quibus veteres scriptores Paelignos imprimis reponunt. Titum Livium auscultemus : « Italici populi defecerunt, Picentes, Vestini, Marsi, Paeligni, Marrucini, Samnites, Lucani, initio belli a Picentibus moto (1) » ; Appianum : Ὅσα τοῖς Ἀσκλαίοις ἔθνη γείτονα ἦν συνεξέφηνε τὴν παρασκευὴν, Μάρσοι τε καὶ Παιλιγνοὶ καὶ Οὐηστῖνοι, κ. τ. λ. (2) ; Augustinum : « Picentes, Marsi et Paeligni, gentes non exterae sed italicae, post diuturnam et devotissimam sub romano iugo servitutem in libertatem caput erigere tentaverunt (3) » ; Orosium : « igitur Picentes, Vestini, Marsi, Paeligni, Marrucini, Samnites, Lucani, cum adhuc occultam defectionem meditarentur, C. Servilium praetorem, legatum ad se missum, apud Asculum occiderunt (4) ».

Eo tempore quo intervenerunt samnitica bella victrices aquilas Romani domitis populis circumtulerunt ; communi consensu deficiente, Itali singillatim subacti sunt. Nunc socii, usu et experimentis edocti, firmum ac solidum foedus feriunt publicumque statum ad romanae reipublicae similitudinem ordinant. Senatum habent, e 500 legatis compositum ; consules duos et decem praetores, omnes quo-

(1) Liv., LXXII, *Epit.*
(2) Appian., *de Bell. civil.*, I, 39.
(3) August., *de Civit. Dei*, V, 22.
(4) Oros., V, 18.

tannis renuntiati, domi militiaeque summae societati praesunt. Urbs denique sumitur, ubi socialis senatus residet consulesque et praetores creantur. « Caput imperii sui Corfinium legerant, quod appellarant Italicum (1). » Ἐπισημοτάτη καὶ μεγίστη καὶ κοινὴ πόλις ἄρτι συνετελεσμένη τοῖς Ἰταλιώταις τὸ Κορφίνιον ἦν, ἐν ᾗ τά τε ἄλλα ὅσα μεγάλην πόλιν καὶ ἀρχὴν κρατύνουσι συνεστήσαντο καὶ ἀγορὰν εὐμεγέθη καὶ βουλευτήριον..... τὴν κοινὴν πόλιν Ἰταλίαν ἐπονομάσαντες (2). — Κορφίνιον κοινὴν ἅπασι τοῖς Ἰταλιώταις ἀποδείξαντες πόλιν ἀντὶ τῆς Ῥώμης ὁρμητήριον τοῦ πολέμου μετονομασθεῖσαν Ἰταλικὴν καὶ ἐνταῦθα δὴ τοὺς συνεπομένους ἀθροίσαντες καὶ χειροτονήσαντες ὑπάτὸυς καὶ στρατηγούς (3). Ceterum senatus magistratuumque proprium nomen nos fugit, quod tantum in latinum aut in graecum translatum novimus.

Corfinii electio variis e causis manavit. Quanquam prius nulla huius urbis mentio facta est, bene iam audiebat. Strabo eam Paelignorum μητρόπολιν dicit (4). Paludibus aut amnibus undique circumiacentibus, locum excelsum occupabat, situ ipso munitum, cuius firmitatem vetustissimi et solidi muri augebant. Geographicae praesertim positionis respectu Itali adducti sunt ut Corfinium caput esset foederis. Paeligni enim mediis in sabellicis terris incolebant inter Oscos et Umbros, totius Italiae umbilicum tenentes. Romae Corfinium superbe opposuerunt (5). Si geometrica quadam congruentia

(1) Vell. Paterc., II, 16.
(2) Diodor., XXXVII, 2.
(3) Strab., V, p. 241.
(4) *Ibid.*
(5) Florus, III, 18 : « Quid hac clade tristius, quid calamitosius... ut cum regum et gentium arbiter populus ipsum se regere non posset, victrix Asiae Europaeque a Corfinio Roma peteretur! »

humanae res moderatae fuissent, eo nati profecto essent ut in paeninsula principatum habuissent.

E monetis quas Itali signaverunt plurimae servatae sunt. Litteras modo osce modo latine artifices in iis inciderunt. Imperatorum nomina cum variis imaginibus insculptis videmus (1). Notandae sunt quaedam praecipue quae in altera parte muliebre caput laureatum coronatumve diademate aut galeatum, in altera sedentem mulierem aut alia argumenta et litteras oscas *Viteliu* vel latinas *Italia* ostendunt. Italiae caput commune et pervulgatum deae Romae simulacrum imitatur. Utrum socii novam Italicorum rempublicam, an Corfinium, nunc Italicum aut Italica vocatum, effingere voluerunt, nescimus ; prior opinio verisimilior. In Romanos coorti eorum vestigiis humiliter ingrediebantur. Omnibus postea in tranquillum redactis, monetae oculis nostris subiciunt Italiam et Romam coniungentes dextras.

Marsicum bellum usque ad tertium annum perductum est, neque Romani sine magno conatu difficultates et pericula superaverunt. Paelignorum nomen raro scriptores pronuntiant. Iis revera cum Marsis ceterisque Sabellis antiquae causae necessitudinis intercedebant ; omnes igitur in unum semper consuluerunt. E Paelignis nemo nominatim memoratur, nisi forte huius gentis essent T. Lafrenius vel Afranius, C. Praesenteius, C. Pontidius, qui in numero italicorum ducum, patria praetermissa, reponuntur. Livii *Epitome* refert Ser. Sulpicium Paelignos proelio fudisse (2). Romanis instantibus,

(1) Cf. Mérimée, *op. cit.*, *Appendice : les médailles italiotes de la guerre sociale ;* — Bompois, *les Types monétaires de la guerre sociale*, Paris, 1873 ; — Garrucci, *le Monete dell' Italia antica*, Roma, 1885.

(2) Liv., LXXIII, *Epit.*

necesse fuit ut Corfinium desereretur, cuius in loco Aesernia, Samnitium urbs, caput foederis evasit (1). Anno 666/88, « Cn. Pompeius proconsul Vestinos et Paelignos in deditionem accepit. Marsi quoque... pacem petierunt (2) ».

Romani victores coacti sunt iustissimae Italicorum voluntati obsequi. Lege Iulia initio statim belli promulgata, Latinis et foederatis qui in antiqua fide et amicitia permanserant civitas donatur. Paulo post, lege Plautia Papiria, senatus populusque ceteros Italos civitate donat, ea condicione ut sine mora ab armis discedant. Confecto bello, senatus consultum ultimos pugnantes legis praemio afficit. Tunc omnes Italiae incolae cives sunt romani. Sed Latini sociique sui iuris esse desierunt. In gentem concedentes imperantium, sibi libertatem abiudicant. Novus incipit rerum status (3).

Romani haud incaute socios nunc cives factos, ne in comitiis vincerent, diversis tribubus addixerunt. Priscis civibus, qui omnino maiorem suffragiorum habebant partem, mixti sunt novi (4). Marsi Paelignique sociali bello nomen et caput dederant. Iis pariter Sergia tribus assignata est. Sic enim orsus est M. Tullius Cicero, contra Vatinium causam agens: « Ob hasce omnes res, sciasne te severissimorum hominum Sabinorum, fortissimorum virorum Marsorum et Paelignorum, tribulium tuorum, iudicio notatum, nec post Romam condi-

(1) Diodor., *loc. cit.*

(2) Liv., LXXVI, *Epit.*

(3) Mohl, *op. cit.*, p. 95.

(4) Cf. Beloch, *op. cit.* — Kubitschek, *Imperium romanum tributim descriptum*, Vindobona, 1889. — Mommsen, *die Römische Tribuseinleitung nach dem marsischen Krieg*, in: *Hermes*, 1887, t. XXII, 101.

tam, praeter te, tribulem quemquam tribum Sergiam perdidisse (1). » Et in scholiis Bobiensiis ad eumdem locum legimus : « Haec enim (*id est : Sergia tribus*) constabat e Sabinis et Marsis et Paelignis (2). » Inscriptiones oratoris testimonium comprobant : moguntiacensis titulus ad M. Lutatium M. filium Sergia tribu Albanum domo Corfinii, militem legionis IV macedonicae, pertinet (3), atque corfinienses, sulmonenses, superaequani tituli qui tribus mentionem faciunt, omnes, praeter paucos (4), Sergiam indicant (5).

Plurima in marsico bello L. Cornelii Sullae opera fuerat. Post mithridaticam victoriam Sulla Italiam repetivit Romamque ipsam cum exercitu suo sub signis profectus est, imperium ac dominationem sibi exoptans (6). « Cum italicis populis, ne timeretur ab iis velut erepturus civitatem et suffragii ius nuper datum, foedus percussit (7). » Sed paulo post eius animus vehementer commutatus est. Pontius Telesinus, Samnitium dux, contra eum fecit, et Romanis ambitioso imperatori infensis accessit socius. Cruentissima pugna Romae ad portam Collinam commissa, Sulla victor acerbe et crudeliter in Italos saeviit ; oppida nonnulla diruta sunt, terrae proscriptae, veteranae coloniae in italicas urbes di-

(1) Cic., *in Vatin.*, 15.

(2) Schol. Bob., *ad loc. cit.*

(3) Brambach, *Corpus inscr. rhenanarum*, nº 1162.

(4) Palatina tribus : C. I. L., IX, 3083, 3181, 3184. — Aniensis : 3044. — Arnensis, 3072.

(5) C. I. L., IX, 3082, 3086, 3088, 3091, 3092, 3100, etc. (Sulmo) ; 3152, 3165, 3169, 3174, etc. (Corfinium) ; 3305, 3313, etc. (Superaequum).

(6) E. Linden, *de Bello civili Sullano*, Freiburg im Brisgau, 1896.

(7) Liv., LXXXVI, *Epit.*

ductae (1). Cum iam post sociale bellum Roma et Italia coepissent ut unam haberi, Sullanum civile bellum peregit opus summamque confusionis in posterum confirmavit (2).

Florus auctor esse videtur unam e Paelignorum urbibus tunc ultima pati : « Sulmonem, vetus oppidum socium atque amicum (facinus indignum !) nondum expugnatum, ut obsides iure belli et mox morte damnati duci jubentur, sic damnatam civitatem iussit Sulla deleri (3). » Res autem controversiam habet. Urbes duae in Italia eodem nomine appellabantur, una in paeligna regione, altera in Latio vetere, nunc *Sermoneta* vocata. Plinius hunc latinum Sulmonem deletum et eversum vidit (4). *Panf. Serafini* putat Sullam ei, neque oppido paeligno, intulisse damnum, firmissimaque affert argumenta (5) : imperatorem cum Marianis et Samnitibus in Campania, in Latio, in Etruria pugnavisse ; civitates quas excidio ac ruinis dedisset, Spoletium, Praenestem, Florentiam, Volaterras, Aeserniam, Populoniam, Nolam, Interamnas Volscorum, Tyrrhenum mare versus positas esse. Paelignos haudquaquam in partem sullani civilis belli venisse.

Si habuisset in animo Sulla belli socialis fautores

(1) Liv., LXXXIX, *Epit.* ; — Strab., V, p. 249 ; — Appian., *de Bell. civil.*, I, 100-104. — Cf. Dureau de la Malle, *Recherches sur l'affaiblissement de la population et des produits de l'Italie pendant le* VII^e^ *siècle de Rome*, in : *Mém. de l'Institut royal, Acad. des Insc.*, t. XII, 1836, p. 286.

(2) Mohl, *op. cit.*, p. 93.

(3) Florus, III, 22.

(4) Plin., *Hist. Nat.*, III, 5, 9.

(5) Panf. Serafini, *Intorno a Sulmona del Lazio distrutta da Lucio Silla*, 2ª ed., Sulmona, 1901.

castigare, Corfinium, foederis caput, at non parum notum Sulmonem, evertisset. Ceterum, paucis post annis, paelignus Sulmo rursus commemoratur, dum Pompeiani in eum se coniciunt; parum verisimile videtur deletam urbem gravissima damna ita restituisse.

Non causa est igitur cur in sententiam a doctissimo viro *Zumpt* in libro *de Coloniis Romanorum militaribus* latam eamus (1). Vix credendum est Sullam colonias Sulmonem Corfiniumque deduxisse. Sulmo Corfiniumque et Superaequum, fatemur, in *Libro Coloniarum* citantur (2); hoc autem opus sero conscriptum est suspicionemque erroris crebro sustinet (3). Non solum germanas liberae reipublicae colonias indicat, sed etiam et potissimum assignationes terrarum quas fecerunt postea principes. Cum de Superaequo agatur, Veri, Antonini et Commodi nomina gromatici proferunt, et ipse *Zumpt* Octaviano priorem superaequanam veteranorum missionem attribuit. « Colonia superaequana. Ager eius veteranis est assignatus, sed postea Verus et Antoninus et Commodus aliqua privatis concesserunt (4). » — « Solmona ea lege est assignata qua et ager Eserniae (5). » At « Esernia oppidum (ut aiunt alibi gromatici) muro ductum, iussu Neronis est deductum (6). » — « Ager corfinius lege Sempronia est assignatus (7). » Sed « co-

(1) Zumpt, *de Coloniis Romanorum militaribus libri quattuor*, in : *Comment. epigraph.*, Berolini, 1850, p. 258 et 261.

(2) *Liber coloniarum*, in : *Gromatici veteres*, t. I.

(3) Mommsen, *die Italischen Bürgercolonien von Sulla bis Vespasian*, in : *Hermes*, t. XVIII, 1883, p. 161 et 171.

(4) *Liber colon.*, p. 229, 8.

(5) *Ibid.*, I, p. 260, 16.

(6) *Ibid.*, p. 260, 7.

(7) *Ibid.*, p. 228, 18 et 255, 12.

lonia solomontina ea lege est assignata qua et Corfinius (1) ». « Corfinius ager limitibus... lege Augustea sunt censiti et termini Augustei ibidem nuncupantur (2). » Nostra quidem sententia, principum temporibus superaequanae, sulmonenses, corfinienses terrae primum assignatae fuerunt. Sulla colonias constituit in regionibus quae adversus eum arma tulerant quasque atrociter populaverat. Paeligni revera non perhibentur Samnitibus tunc coniuncti; coloniarum expertes permanserunt.

Sabelli tamen, marsicum bellum memoria retinentes, a Romanis diu alienos animos habuerunt. Anno 691/63, cum L. Sergius Catilina in reipublicae perniciem consurgeret et novas volentium res per totam Italiam adiumentum exposceret, « motus etiam in Paelignis ortus, a Marcellis patre et filio per L. Vettium proditus, patefacta Catilinae coniuratione, quasi succisa radice compressus est; et de utroque per Bibulum in Paelignis, per Ciceronem in Bruttiis vindicatum est (3) ». Orosio credamus : M. Tullius quoque dicit Marcellos in eodem consilio fuisse cum Catilina (4).

Paucissimi tituli latine ante Augustum scripti in paeligna regione reperti sunt (5). Et pleraeque dialecticae inscriptiones litterarum figura M. Tullii aetati tribuendae sunt. Non adeo romanis moribus Paeligni adhuc inficiebantur.

Corfinium et Sulmo in novo civili bello quod C. Iulius

(1) *Ibid.*, p. 229, 9.
(2) *Ibid.*, p. 255, 3.
(3) Oros., VI, 6.
(4) Cic., *pro Sextio*, 4 ; — *in Catil.*, I, 8.
(5) C. I. L., IX, 3080, 3087, 3128, 3137, etc.

Caesar anno 710/44 concivit, magnas habuerunt partes (1). Liber *de Bello civili* res enarrat (2). Caesar, Rubicone transmisso, Italiam mira celeritate et diligentia invasit (3). L. Domitius Ahenobarbus, Galliarum proconsul in Caesaris locum suffectus, cum pompeianae factionis fautoribus Corfinium se recepit. Hoc oppidum rursus sedes factum est certaminis. Geographica eius positio, mediis in montibus et in intimo paeninsulae sinu, ut antea Italorum foederatorum, ita nunc Pompeianorum oculos movebat. Domitius milites « e Marsis et Paelignis et finitimis a regionibus coegerat (4). » Duo et triginta cohortes eius imperio parebant, e quibus collocaverat in praesidio sex Albae, septem Sulmone, ceterasque Corfinii (5). Caesar unam legionem secum ducebat.

M. Tullii opera, epistularum commercium inter Cn. Pompeium Magnum, Domitium et consules pulcherrime novimus ; scripturae ipsae nobis traditae sunt (6). Pompeius Ahenobarbum iubet cum exercitu abscedere et Apuliam petere. Domitius cunctatur ; annuit tamen se venturum, sed, Caesare propius et citatim accedente, consilio repente mutato, diutius apud Corfinium moratur. Magnus queritur, eum rursus vocat, ut Italiam cum omnibus copiis deserere possit ac mare transire.

(1) Cic., *ad Att.*, VIII, 5, 2 : « Pendeo animi exspectatione corfiniensi, in qua de salute rei publicae decernitur. »

(2) Cf. Colonel Stoffel, *Histoire de Jules César, Guerre civile*, Paris, 1887.

(3) Cic., *ad Att.*, 8, 9 : « Hoc τέρας horribili vigilantia, celeritate, diligentia est. » — *Ibid.*, 8, 15 : « Ambulando bellum fecerunt. »

(4) Caes., *de Bell. civil.*, I, 15.

(5) Cf. Cic., *ad Att.*, VIII, 12, A, 1.

(6) Cic., *ad Att.*, VIII, 11, A ; 12, A ; 12, B.

Nequiquam. Caesar, recepto Asculo, Corfinium contendit. Domitius, ad decertandum obstinatus, ei occurrit, quamvis periculum sit ne obsidione circumclaudatur. Cum Corfinium iter faceret Caesar, « cohortes quinque, praemissae a Domitio ex oppido, pontem fluminis interrumpebant, qui erat ab oppido milia passuum circiter tria. Ibi cum antecursoribus Caesaris proelio commisso; celeriter Domitiani, a ponte repulsi, se in oppidum receperunt (1). Caesar, legionibus traductis, ad oppidum constitit, iuxtaque murum castra posuit (2)... Caesari nuntiatur Sulmonenses, quod oppidum a Corfinio septem milia intervallo abest, cupere ea facere quae vellet; sed a Q. Lucretio senatore et Attio Paeligno prohiberi, qui in oppidum septem cohortium praesidio tenebant. Mittit eo M. Antonium cum legionis octavae (3) cohortibus quinque. Sulmonenses, simul atque nostra signa viderunt, portas aperuerunt (4)... Caesar tribus primis diebus castra magnis operibus munire, et e finitimis municipiis frumentum comportare, reliquasque copias exspectare instituit... quorum adventu altera castra ad alteram oppidi partem ponit... Reliquis diebus oppidum vallo castellisque circumvenire instituit (5). » Cum Magnus abnuat legato suo ferre auxilium, Domitius ipse cogitat in fugam se cum paucis amicis prorum-

(1) Caes., *op cit.*, I, 16. — Cf. Strab., V, p. 242 : Διέχει δὲ τὸ ζεῦγμα τέσσαρας καὶ εἴκοσι σταδίους ἀπὸ Κορφινίου ; — Lucan., II, 484 :

.... Socii, decurrite, dixit,
Fluminis ad ripas, undaeque immergite pontem,
etc.

(2) Caes., *ibid.*

(3) Erravit librarius : « tertiae decimae ».

(4) Caes., *op. cit.*, I, 18. — Cf. Cic., *ad Att.*, VIII, 4, 3.

(5) Caes., *op. cit.*, I, 18.

pere. Milites secessionem faciunt, ducem circumstantes custodiunt oratoresque e suo numero ad Caesarem mittunt. De condicionibus tradendae urbis agitur. In deditionem recipiuntur Pompeiani (1). Caesar eorum cohortes exercitu suo coniunxit omnesque romanos senatores, senatorum liberos, militum tribunos, equites, incolumes dimisit (2). Magnum numerum equitum romanorum et decurionum e municipiis Domitius evocaverat. Sestertium sexagies advexerat, « allatum ad se a duumviris corfiniensibus (3) ». Caesar hanc summam pecuniae ei reddit. « Milites domitianos sacramentum apud se dicere iubet, atque eo die castra movet, iustumque iter conficit, septem omnino dies in Corfinium commoratus (4). »

Post oppidum captum, bellum feliciter evenit. Caesar « domitianas cohortes protinus a Corfinio in Siciliam miserat (5). » Curionem postea iussit in Africam tra-

(1) *Ibid.*, I, 21.

(2) Cf. Cic., *ad Att.*, IX, 16, 1 : « Cum eius clementiam corfiniensem illam per litteras collaudavissem, rescripsit (Caesar), etc. » — Caesar Domitio pepercit : Plin., *Hist. Nat.*, VII, 53, 54 : « L. Domitius clarissimae gentis apud Massiliam victus, Corfinii captus ab eodem Caesare, veneno poto propter taedium vitae, postquam biberat, omni opere ut viveret adnisus est. » Cf. Senec., *de Benef.*, III, 24 : « ... Vixit Domitius et servatus a Caesare est ; prior tamen illum servus servaverat. »

(3) Caes., *op. cit.*, I, 23.

(4) *Ibid.* — Res eaedem brevius referuntur apud Liv., CIX, *Epit.* : « C. Caesar, bello inimicos persecuturus, cum exercitu in Italiam venit ; Corfinium cum L. Domitio et L. Lentulo cepit, eosque dimisit. Cn. Pompeium ceterosque partium eius Italia expulit. » — Cf. Appian., *de Bell. civil.*, II, 38 ; — Cass. Dio, XLI, 10 seqq. ; — Plut., *Caes.*, 34 ; — Suet., *Caes.*, 34, et *Ner.*, 2 ; — Vell. Paterc., II, 50 ; — Florus, IV, 2 ; — Oros., VI, 15.

(5) Caes., *op. cit.*, I, 25.

ducere exercitum (1). Sed, ut poetae verbis utamur,

Caesareis nunquam devota iuventus
Illa nimis castris, nec Rheni miles in undis
Exploratus erat, Corfini captus in arce,
Infidusque novis ducibus (1).

In Africa pompeiano exercitui Attius Varus praeerat; unus ex eius legatis, Sex. Quinctilius Varus, fuerat ipse Corfinii cum Domitio, dimissusque a Caesare arma rursus moverat. Curionis milites ad proditionem sollicitavit, sed eius conatus ad vanum redacti sunt (2).

Veteres scriptores qui ultima civilia bella persequuntur de Paelignis silent.

(1) *Ibid.*, 30.
(2) Lucan., IV, 698.
(3) Caes , *op. cit.*, II, 28.

## CAPUT TERTIUM

### De Paelignorum regione romanorum principum temporibus.

Cum Augustus Italiam in regiones undecim distribuit, Paeligni quartae adscripti sunt. C. Plinium Secundum auctorem habemus validissimum (1). Cassius Dio refert C. Cilnium Maecenatem induxisse principem ut paeninsulam haud secus ac ceteras in romano imperio terras κατά τε γένη καὶ ἔθνη describeret (2). Augustus revera sibi proposuerat ut faciliorem census aestimationem faceret, partibus certis in Italia definitis ; nullo modo in animo habuit veteres gentes imminuere et disturbare (3). « Regionum autem fines ita designavit et terminavit ut populorum priscorum consanguinitates respiceret (4). » Paeligni enim, ut unico exemplo utamur, in eadem regione erant quam finitimi consanguineique populi, Samnites, Sabini, Marsi, etc.

(1) Plin., *Hist. Nat.*, III, 12, 17.

(2) Cass. Dio, LIII, 22.

(3) Cf. Jullian, *les Transformations politiques de l'Italie sous les empereurs romains*, Paris, 1883, p. 85 ; — Beloch, *der Italische Bund*, p. 2.

(4) Kubitschek. *Imperium romanum tributim descriptum*, p. 1.

Augustea divisio italicarum gentium statum haudquaquam convellit. Non mirum est igitur si posthac etiam antiqui temporis vestigia deprehendi possunt. Priscae consuetudines et prisci mores aetate diuturna duraverunt. Tarde et paulatim Romanorum cultus, quem diffundebant terrarum largitiones in veteranos, publicarum viarum munitio, rerum venalium fora creata, scholae institutae, radices in profundum egit (1). Superaequanus titulus nomen nobis tradidit primi Paeligni in romanum senatum adlecti, Q. Varii Gemini (2).

Veteres latinae inscriptiones peculiares praebent notas, quae a dialectica lingua duci videntur (3). Has tantum inter alias, e *Corporis Inscriptionum Latinarum* indicibus excerptas, citemus :

*Ae* pro *e* : qaerella (querela), C. I. L., IX, 3215.

*Cot* pro *quot* : 3058.

*Cy* pro *Qui* : Iovi Cyri[no] (Iovi Quiri[no]), 3303.

*Ei* pro *i* : eigni (igni), 3070 ; niquei (ne quis), 3128.

*Ho* pro *hoc* : 3058.

Litteram *I* praetermissam : Gemnus (Geminus), 3056.

*I* pro *e* : niquei (nequis), 3128.

*L* duplicatam : qaerella, 3215.

*M* pro *n* : imfelicissimi, 3058.

*N* praetermissam : castresibus, 3158 ; infas 3184, etc.

*Propostera* pro *praepostera* : 3058.

Vocabulum *qui* aut *quae* omissum : [qui aut quae] vixit, 3058, 3184, etc.

(1) Cf. Mohl, *Introduction à la chronologie du latin vulgaire*, passim.

(2) C. I. L., IX, 3306. Cf. *infra*, p. 92.

(3) Mommsen, *die Unteritalischen Dialekte*, p. 345. — Mohl, *op. cit.*, p. 46 et 254.

*Quot* pro *quod*, 3321.

*S* in verborum fine omissam : Mariu (Marius), 3146.

*U* praetermissam : posit (posuit), 3146 ; qaerella, 3215.

*S* additam : uxs[ori] (ux[ori]), 3058.

Praenomina, nominaque et cognomina Paelignis indita, ut romanae aetatis inscriptiones testantur, eorum quae in dialecticis titulis reperimus memoriam renovant (1). Nomina duo et duo cognomina de locorum ipsis nominibus detorta sunt. Caii Sulmonii Primus et Fortunatus Interpromii ponderarium refecerunt (2). C. Corfinii Natalis epitaphium habemus (3). — Corfiniensis quidam libertus *Italicus* appellabatur (4). Bello marsico Corfinium Italicam vocaverant socii. Nonnunquam quaesitum est an pariter Silius Italicus corfiniensis genere esset. Res incerta et parum credibilis videtur. Nova enim Corfinii appellatio mox cecidit ; cum Italicam principum temporibus scriptores citant, de hispanica Baeticorum civitate agitur. — At cognomen alterum intueamur. Ter in Paeligna regione viros Paelinos nuncupatos invenimus (5) et bis feminas Paelinas dictas (6). Omnes nempe infimae sortis fortunaeque erant, servi, aut liberti, aut libertorum liberi. In aliis quibusdam Italiae regionibus, hoc idem habebant cognomen homines qui aut paeli-

(1) Cf. *supra*, p. 52, et libros ibi commemoratos.

(2) C. I. L., IX, 3046.

(3) *Ibid.*, 6326 (Corfinii). — Cf. *Ibid.*, 3219 : *Corf(inii* vel *Corfidii) Castor et Montanus* (Corfinii).

(4) *Ephem Epigr.*, VIII, 148.

(5) C. I. L., IX, 3184 (Corfinii) : *Q. Caecilius Paelinus* ; — 3187 (Corfinii) : ... *Petruculeius Paelinus* et *T. Accius Paelinus* ; — 3069 (Interpromii) : *Statius Tattius Paelinus.*

(6) *Ibid.*, 3236 (Corfinii) : *Paelina mater* ; — *Ephem. epigr.* VIII, ad C. I. L. addit. IX, 152 : *Paelina serva.*

gnae gentis erant, aut a Paelignis originem ducebant. Teate Marrucinorum vixit L. Aebutius Paelinus (1). Brixiensis et urbanus tituli collaudant C. Pontium Paelignum, tribunum militum legionis X geminae, curatorem locorum publicorum iudicandorum (2). In ipsa Hispania C. Avielius Paelignus conventus Astigitani (*Arcos de la Frontera*) praefectus iure dicendo erat (3). Plerique coloni in Hispaniam missi ab Italiae mediae populis oriebantur, Campanis, Samnitibus, Marrucinis, Paelignis, Sabinis. Urbes condiderant, Oscam, Italicam, quarum nomina Italiae memoriam referebant. In aquileiensi inscriptione haec verba legimus :

*L. Butius* | *L. f(ilius) Serg(id tribu)* | *Italica* | *Sabinus ex Hispania* (4)...

Tacitus tradit Iulium Paelignum, Claudii principis tempore, Cappadociae procuratorem fuisse (5), et *Fabia* noster existimat eum etiam, ut praefectum vigilum, a Cassio Dione commemorari, verbo *Laelianum* falso a librariis pro verbo *Paelignum* subiecto (6). — Cognomen quoque Paeligniani vel Paeliniani usitatum fuit. Romae Sallustium Paelignianum consulem anno 231 p. C. n. videmus (7), Brixiae Iulianum Pelignianum

(1) *Ephem epigr.*, VIII, 125.

(2) C. I. L., V, 4348 ; VI, 1267.

(3) *Ephem. epigr.*, VIII, ad C. I. L. addit. II, 94.

(4) C. I. L., V, 932. — Cf. Macrob., I, 11 : « C. Vettium Paelignum Italicensem comprehensum a cohortibus suis ut Pompeio traderetur, servus eius occidit. »

(5) Tacit., *Ann.*, XII, 49.

(6) Fabia, *Iulius Paelignus*, in : *Rev. de philol.*, 1898, 133. — Cf. Cass. Dio, LXI, 6, 6.

(7) C. I. L., XIV, 2267, etc. — Cf. Klein, *Fasti consulares*, p. 99.

virum clarissimum (1) et Ardeae Sallustium Paelinianum clarissimum virum (2).

Paelignorum omnium famosissimus est P. Ovidius Naso Sulmonensis (3). Sulmone natus, in hac urbe primum eductus fuit ; ibi rusticum praedium tenebat :

> Gens mea Paeligni, regioque domestica Sulmo (4).
> Non meus amissos animus desiderat agros,
> Ruraque Paeligno conspicienda solo (5).

Saepissime patriae merita virtutesque laudibus exornavit. Scriptis suis profecto produxit memoriam natalis urbis, cuius nomen poetae nomini in omne tempus inhaeret. Paelignum vatem celebrat Martialis :

> Ride, si sapis, o puella, ride,
> Paelignus, puto, dixerat poeta (6).
> Non me Paelignus nec spernet Mantua vatem (7).

Paelignae regionis historiam et vices romanorum principum aetate veteres scriptores silentio transeunt. Non ignoramus tamen Claudium in Italiam mediam multa et maxima praestitisse : e Fucino lacu emisit aquam viasque munivit quibus utebantur Paeligni, Claudiam Valeriam et Claudiam novam (8). E *Libro coloniarum* apparet colonias deductas fuisse Corfinium iussu Augusti, Corfinium et Sulmonem iussu Neronis,

(1) C. I. L., V, 4358.
(2) C. I. L., X, 6769.
(3) Hoc gentilicium nomen in una sulmonensi inscriptione invenitur : C. I. L., IX, 3082 : *L. Ovidius Ventrio.*
(4) OVID., *Pont.*, IV, 14, 51.
(5) *Ibid.*, I, 8, 41.
(6) MARTIAL., II, 41, 2.
(7) *Ibid.*, VIII, 73, 9.
(8) Cf. *infra*, p. 107.

Superaequum iussu Veri, Antonini, Commodi (1). Vespasiano bellum movente, eius partes Paeligni tenuerunt : « erectus Samnis Paelignusque et Marsi aemulatione quod Campania praevenisset, ut in novo obsequio ad cuncta belli munia acres erant (2) ».

Cum taceant scriptores, titulos saltem inspiciamus. Ab inscriptionibus sacris capiatur exordium. Paeligni lapides dedicaverunt Iovi (3), Iovi Cyri[no] (= Quiri-[no]; is deus Romulus est, cui caelum decretum fuerat) (4), Minervae (5), Mercurio (6), Herculi (7), Silvano conservatori (8). Fuficia magistra Angitiis donum dedit (9). L. Vibius Severus, eques romanus, ad deam Pelinam venationem ludosque sollemnes edidit (10). Pelina dea nobis aliunde plane ignota est. *Muratori* vero publicavit alterum titulum eam commemorantem, quem *Petrus Polidorus* in pomerio Anxani veteris, Frentanorum urbis, invenisse dicebat.

*Pelinae* | *beneficae* | *M. Albius* | *Niceratus* | *ex voto donum dedit* (11).

(1) Cf. supra, p. 77.

(2) Tac., *Hist.*, III, 59.

(3) *Notiz. d. Scavi*, 1901, p. 285 : (apud *Introdacqua*) : *P. Pictori* | *us Meco* | *Iovi.* — C. I. L., IX, 3075 (Sulmone) : *Allia Sat...* | *culina*[*m* | *I*]*ovi de su*[*o*] | *dedit.*

(4) C. I. L., IX, 3303 (Superaequi : in tegula).

(5) *Ibid.*, 3148 (Corfinii).

(6) *Ibid.*, 3307 (Superaequi) : *T. Pompullius L. f*(*ilius*) *Lappa* | ... *auctionarium fieri et Mercurium* | *Augustum sacrum poni iussit...*

(7) *Ibid.*, 3302 (apud *Molina*). — *Notiz. d. Scavi*, 1898, p. 74 : *L. Selus C. f*(*ilius*) | *Hercolo* | *donum* | *dat Burus.*

(8) C. I. L., IX, 3076 (Sulmone).

(9) *Ibid.*, 30 4 (Sulmone). — Cf. supra, p. 53.

(10) C. I. L., IX, 3314 (Superaequi).

(11) Muratori, *Thesaurus inscriptionum*, p. 99, n° 3 ; — C. I. L., IX, 292*.

At merito hoc documentum in numero falsarum commenticiarumque inscriptionum reponitur. Ut ait *Mommsen*, fictum est ad genuinum superaequanum, C. I. L. IX, 3314, quod item legitur apud *Polidorum* fraude translatum ad Ortonam Frentanorum (1). Quamvis Arnobius Pelloniam deam memoret, ad pellendos hostes adiutricem, et laudet Aratus Pellineam Dianam, cui ab urbe cognomen Pellinae fuisset, *Muratori* iure credebat neutram sub nomine Pelinae cultam fuisse, Pelinamque pro peculiare Paelignorum dea habebat (2). Alias huius generis peculiares deas diversi italici populi veterrimis temporibus venerabantur, ut Angitiam Marsi, Vacunam Sabini, etc., quas profitebantur patronas suas, rusticae vitae custodes (3). Lavernae pariter, quarum nomen pago cuidam paelignae regionis inditum fuerat (4), non absimiles erant; Romani forte paelignam Lavernam cum Bona Dea vel Damia conferebant (5):

... *Magistri laverneis* | ... *templum Bonae Deae* | *pagi decreto faciendu*[*m*] | *curarunt* (6).

Peregrinis diis nonnulli tituli consecrantur: Libero

(1) C. I. L., *loc. cit.*

(2) MURATORI, *loc. cit.*—TORCIA, *Saggio itinerario nazionale del paese de' Peligni*, Napoli, 1793, p. 55, Pelinam falso cum graecis vocabulis πηλίνη (lutea), πηλός (lutus), πηλίνων ἔργων (opere lutea, fictilia vasa), confert.

(3) Cf. PRELLER, *der Fluss Avens und die Göttin Vacuna*, in : *Ausgewählte Aufsätze*, Berlin, 1864, p. 256.

(4) Cf. *infra*, p. 124.

(5) PRELLER-JORDAN, *Roem. Mythol.*, t. I, p. 404 ; — BOUCHÉ-LECLERCQ, s. v° *Laverna*, in : DAREMBERG et SAGLIO, *Dict. des Antiq.* ; — WISSOWA, s. v° *Laverna*, et : R. PETER, s. v° *Damia*, in : ROSCHER, *Lexicon*.

(6) C. I. L., IX, 3138 (Lavernarum).

Pantheo (1), Matri Deorum (2), Isi victrici (3). Hunc saltem subiciamus :

*Attini aram,* | *lunam argenteam,* | *p(ondo unciarum) duarum, posit P. Mariu[s] Pharetra sacerdo(s).* — *Acca L. f(ilia) Prima* | *ministra Matris* | *Magnae Matrem* | *refecit Magnam* | *et inauravit, et Atti* | *ni comam inau* | *ravit et Bellonam refecit* (4).

P. Marius Pharetra Attini sacerdos erat. L. Spedius Rhodinus martialis (5), id est publicus Martis minister (6). M. Attius Draco Clodianus Annavus Rufus pontifex (7). Mulieres invenimus Angitiarum aut Matris Magnae ministras (8), Cereris sacerdotes (9), Veneris sacerdotes (10), Cereris et Veneris sacerdotes (11), Isidis sacerdotem (12). Titia L. filia sacerdos dicitur, dei deaeve nomine omisso (13). Seviri Augustales Corfinii, Sulmone, Interpromii exstabant (14).

(1) *Ibid.*, 3145 (Corfinii).

(2) *Ibid.*, 3147 (Corfinii).

(3) *Ibid.*, 3144 (Corfinii).

(4) *Ibid*, 3146 (Corfinii).

(5) *Ibid.*, 3065 (Interpromii) : *L. Spedius* | *Rhodinus* | *sodalibus suis* | *Martialibus.*

(6) Cic., *pro Cluentio*, 15, 43 : « Martiales quidam Larini appellabantur, ministri publici Martis. »

(7) C. I. L., IX, 3169 (Corfinii) ; — Cf. 3159 : *[au]gur* (*ibid.*) ; 3177, *pontif.* (*ibid.*).

(8) C. I. L., IX, 3074 et 3146 (Corfinii) ; — Cf. *supra*, p. 49 et p. 53.

(9) C. I. L., IX, 3170 (Corfinii) : *Attia Mirallis ;* — *Notiz. d. Scavi*, 1899, p. 399 (Corfinii) : *Helvia Pothine.*

(10) C. I. L., IX, 3166 (Corfinii) : *Acca ;* — *Ibid.*, 3167 (Corfinii) : *Accia* et *Modia.*

(11) *Ibid.*, 3087 (Sulmone) : *Caeidia ;* — *Ibid.*, 3089 (Sulmone) : *Helvia Quarta ;* — *Ibid.*, 3090 (Sulmone) : *Mamia.*

(12) *Ibid.*, 3091 (Sulmone) : *Hortensia.*

(13) *Ibid.*, 6323 (Corfinii).

(14) *Ibid.*, 3144, 3160, 3180-3187 (Corfinii) ; — *Ibid.*, 3097-3102 ;

Ad principes eorumque gentiles sex inscriptiones pertinent. Truncum quemdam corfiniensem titulum (1) et miliaria duo (2) omittamus. Necesse est cetera documenta perscribere. Hanc lapidem eruditi pro titulo arcus habuerunt qui stetisset in via Valeria prope Superaequum, ad locum nunc *Forca Caruso* vocatum :

*Liviae Drusi f(iliae)* | *Augusti* | *matri Ti. Caesaris et* | *Drusi Germanici* | *Superaequani public[e]* (3).

Lapis alia Sulmone C. Caesari sacrata est :

*C. Caesari Augusti [f(ilio)]* | *po[n]t(ifici) co(n)s(uli) pri[n]ci[p]i iuventutis* (4).

In ultimo titulo, apud *Pratola Peligna* reperto, haec verba legimus :

*P. Cornelio* | *[Sal]oni[no]* | *nobilissimo* | *Caesari* | *s(enatus) p(opulus)q(ue) c(orfiniensis)* (5).

Ad populi romani magistratus publicosque honores veniamus. Sergium Cornelium Dolabellam Metilianum consulem corfiniensis inscriptio commemorat :

*Ser. Cornelius Ser. f(ilius) Dolabella Metilianus co(n)s(ul).* | *balineum solo suo s(ua) p(ecunia) aedificavit et contexit ;* | *M. Atilius Bradua co(n)s(ul) et M'. Acilius Aviola co(n)s(ul), bonor(um) possessor(es) Dolabellae Metiliani, in hoc opus dederunt hs. centena m(ilia) n(ummum).* | *Resp(ublica) et populus corfiniensis datis hs.*

*Ephem. Epigr.*, VIII, 140 (Sulmone) ; — C. I. L., IX, 3045 (Interpromii).

(1) C. I. L., IX, 3150 (Sulmone) : ... *divos Claudius Drus...* | *M. Agrippa L. f(ilius) trib...*

(2) Cf. *infra*, p. 108.

(3) C. I. L., IX, 3304.

(4) *Ibid.*, 3078.

(5) *Ibid.*, 3151.

*CLII n(ummis) consummavit, curam agente* | *[C. Alfio] T. f(ilio) Ser(gia tribu) Maximo* (1).

Frater eius, ut videtur, balinei alteram partem fecit: *[Ser. Cornelius Dolabella Metilianus Pompeius Mar] cellus III vir a(ere) a(rgento) a(uro) f(lando) f(eriundo), sa[lius Palatinus]...* | *... balineum solo suo s(ua) p(ecunia) ae[dificavit...]* | *... [Ser. Co]rneli Dolabellae Metiliani in ho[norem]...* | *... curam agente L. Venetio L. f(ilio)...* (2).

Dolabellae Metiliano Marcello, civitatis suae patrono, Corfinienses hunc honorarium titulum dedicaverunt:

*Ser. Cornelio* | *Ser. f(ilio) P. nep(oti) P. pro* | *nep(oti) P. abnepoti* | *Dolabellae Meti* | *liano Pompeio Mar* | *cello III vir(o) a(ere) a(rgento) a(uro) f(lando) f(eriundo)* | *salio Palat(ino), quaestori* | *divi Traiani Parthici* | *sevir(o) equit(um) rom(anorum) turm(ae)* | *III, pr(aetori), co(n)s(uli), flam(ini) Quir(inali)* | *Corfinienses publice* | *patrono* (3).

Sulmone,

*C. Lucce[i]o* | *Camarti* | *pr[a]etori, trib(uno)* | *p[le]bei, qu[a]estori,* | *C. Pont[i]ius* | *Paulinus co(n)s(ul)* | *amicus aram cum* | *[gr]adibus lo[cavit]* (4).

Cursum honorum quos gessit Q. Varius Geminus, civitatis patronus, Superaequani exponunt:

*Q. Vario Q. f(ilio)* | *Gemino* | *leg(ato) divi Aug(usti) II* | *proco(n)s(uli), pr(aetori), tr(ibuno) pl(ebis),* | *q(uaestori) qu(a)esit(ori) iudic(um,* | *praef(ecto) frum(enti) dand(i),* | *vir(o) st(i)l(itibus) iudic(andis)* | *curatori aedium sacr*

(1) *Ibid.*, 3152.
(2) *Ibid.*, 3153.
(3) *Ibid.*, 3154.
(4) *Ibid.*, 3079.

(*arum*) | *monumentor*(*um*)*que public*(*orum*) | *tuendorum;* | *is primus omnium Paelig*(*norum*) *senator* | *factus est et eos honores gessit.* | *Superaequani publice patrono* (1).

Q. Varius Geminus veterrimus est omnium curatorum aedibus sacris monumentisque publicis tuendis praepositorum quos cognoscimus (2). Primus inter Paelignos romanus senator et proconsul fuit.

In uno eodemque corfiniensi epitaphio de fratribus duobus agitur, altero « maximis municipii honoribus iudiciis Augusti Caesaris uso » (3), altero « castrensibus eiusdem Caesaris Augusti summis equestris ordinis honoribus et iam superiori destinato ordini (4). » Sex. Pedius Sex. filius Aniensi tribu Lusianus Hirrutus, IV vir iure dicundo, quinquennalis iterum, qui amphitheatrum de sua pecunia fecit, arma antea exercuerat : primipilus legionis XXI, praefectus Vindolicis vallis Poeninae et levis armaturae, praefectus Germanici Caesaris fuerat (5). Sulmone sepulti sunt L. Ovidius Ventrio, tribunus militum, praefectus fabrum, (6) D. Severius Severus, praefectus praesidiorum et montis Beronices (7), L. Flacceius Saturninus miles cohortis praetoriae VI (8).

Pleraque epitaphia in paeligna regione imperatoria aetate composita minimi momenti instar obtinent ; no-

(1) *Ibid.*, 3306.

(2) Gardthausen, *Augustus und seine Zeit*, Leipzig, 1891, t. I, 2, p. 957 et t. II, 2, p. 567.

(3) Cf. Jullian, *op. cit.*, p. 88 et p. 203.

(4) C. I. L., IX, 3158.

(5) *Ibid.*, 3044 (Interpromii).

(6) *Ibid.*, 3082 (Sulmone).

(7) *Ibid.*, 3083 (*Ibid*).

(8) *Ibid.*, 3081 (*Ibid*).

mina tantum aliquorum Paelignorum nobis servaverunt; similitudinem habent titulorum eiusdem generis eiusdemque temporis in omnibus imperii romani provinciis inventorum. Sulmonenses corfiniensesque tumuli nuper effossi sunt (1). Eorum supellex, in publicis Museis nunc depositus, ex aeneis fictilibusque vasis, armis, ornamentis, votivis sigillis, domesticis instrumentis constat, parvi pretii rebus, quae nullam peculiarem insolitamve speciem aut formam ostendunt.

Procedentibus saeculis, in Italia divisiones novae descriptioni Augusteae subiectae fuerunt: M Aurelius Antoninus iuridicos quattuor instituit, ut iudicia per paeninsulam exercerent. Quartae regioni, cui iam nomen Piceni saepe datur, modo iuridicus Flaminiae et Umbriae, modo iuridicus Apuliae praeficitur (2).

Tertio p. C. n. saeculo, provincias octo Italia comprehendit. Quarta, quae *Flaminia et Picenum* vocatur, et gallicum agrum inter Apenninum montem et Adriaticum mare, et Picenum germanum, et veteris quartae regionis pars septentrionalis (Sabini, Vestini, Marsi, Paeligni) continentur (3). Haec provincia, quarto saeculo, in duas dirimitur, Valeriam, quae nomen suum e Valeria via capit, et Samnium (4). Paeligni in extremis alterutrius finibus habitabant. *Liber coloniarum* Corfinium, Sulmonem et Superaequum Valeriae, Piceno,

(1) Cf. *Notiz. d. Scavi,* locis citatis *infra*, p. 114 sqq.

(2) Jullian, *op. cit.*, p. 131-133. — Cf. C. I. L., II, 2634; VI, 1511, etc.

(3) Jullian, *op. cit.*, p. 173.

(4) Jullian, *op. cit.*, p. 207. — *Notitia dignitatum,* ed. O. Seeck, p. 106, 109, 163; — *Laterculus Polemii Silvii, ibid.*, p. 254-255.

Samnio promiscue attribuit (1); prima sententia verisimilior videtur.

De Paelignorum historia ultimis antiqui aevi temporibus nihil certum comperimus.

Fama est S. Felicianum, Fulginatium in Umbria episcopum, christianam fidem Paelignis, sub Philippo imperatore, annis 244-249, intulisse. Hoc enim in eius Gestis legitur : « S. Felicianus in Samnio quoque apostolicum munus obivit, et multos convertit, ac baptismo tinxit, atque editis miraculis confirmavit. Eius praecipue zelum expertae Beneventum, Bovianum, Sulmo, Teate, Pinna... In iis aedificavit basilicas, aras dedicavit, ordinavit sacerdotes, rite omnes instituit (2) ». Natu sulmonensis dictus est S. Sabinus, spoletinus episcopus, qui sub M. Aurelio Valeriano Maximiano martyrium tulit (3). Paulo antea, Damasi papae tempore, circa annum 270, S. Valentinus, Tarracinensis episcopus, et S. Damianus, eius diaconus, apud Interpromium interfecti fuerant. « Post tertium diem venerunt in comitatu valvensi (4) et applicuerunt civitatem Corfiniam... Tunc baptizati sunt in civitate Corfinia a sanctissimo episcopo quattuor milia homines, extra parvulos et mulieres, per septem dies quibus morati sunt martyres in civitate Corfinia... Haec audientes templorum pontifices comprehenderunt sancti Dei martyres Valentinum et

(1) *Liber colon.*, p. 228-229 : in Valeria (Superaequum, Corfinium, Sulmo) ; — p. 255-258 : in Piceno (Superaequum, Corfinium) ; — p. 260 : in Samnio (Corfinium, Sulmo).

(2) *Acta Sanctorum*, Januarii mensis, t. III, p. 200.

(3) *Martyr. Usuard.*, et *Martyr. Roman.*, die 30 decembris. — Cf. Em. de Matteis, *Memorie historiche de' Peligni*, lib. I, cap. 8 (mss.).

(4) Cum Gesta scripta sunt, Paelignorum regio iam Valvensis comitatus vocabatur Cf. *infra*, p. 98 et p. 105.

Damianum, quos diutissime caedentes ligaverunt funibus eorum colla et traxerunt eos foras civitatem, et semivivos eos reliquerunt... Cumque iacerent foris muros civitatis.., surgentes... sancti coeperunt iter agere... Venientes itaque iuxta fluvium Piscariam in loco ubi dicitur Pons marmoreus (1), invenerunt ibi quemdam iuvenem iacentem paralyticum... et statim surrexit homo sanus de lecto... Cumque audissent habitatores civitatis Iterpromii, venere viri et mulieres ad sanctos martyres et rogaverunt eos ut ibi morarentur... Ante solis occubitum ingressi sunt in civitatem Zappinam, quae erat trans fluvium Ortae, iuxta fluvium Piscariae atque ex alio latere erat flumen Lavinum (2). Civitas namque illa habebat iniquissimos... paganos... Duxerunt eos in silvam magnam non longe a civitate Zappina ibique afflixos gladiis decollaverunt... Sepelierunt corpora eorum in eadem silva prope magnam petram, quae erat ibi ubi exuberant eorum beneficia usque ad hodiernum diem (3) ». *Holstenius* aliam Interpromii mentionem in Actis martyrii S. Comitii, quae manuscripta habentur in codice lateranensi, vidisse tradit : « Comitius enim occisus dicitur loco qui dicitur Interprimium, iuxta pontem lapideum (4) ».

In vita S. Pelini, Brundisii archiepiscopi, narratum

(1) De isto ponte, cf. *supra* p. 80.

(2) Incerta locorum nomina. *Mommsen*, in C. I. L., IX, p. 286, n. 1, existimat nomen illud praeterea inauditum Zappinae ex menda librariorum originem traxisse et fuisse eius loco in actis sinceris « in civitatem supra dictam ». Nonne civitas illa, id est Interpromium, pagus nunc *San Valentino* vocatus fuisse debet?

(3) *Acta Sanctorum*, Martii mensis, t. II, p. 425 sqq.

(4) Holsten., ad Cluver., *Italia antiqua*, p. 144, citat. in C. I. L., IX, p. 286.

est hunc sanctissimum virum Romae damnatum fuisse, Iuliani principis iussu, Corfiniique necatum. « Praeses Cornicularius Corfiniae urbis dixit ad Caesarem : Imperator piissime, hunc scelestum et maleficum mihi tradi iubeto, ut Corfiniam ducam et aut deo Marti sacrificabit, aut leonibus ad devorandum tradetur (1) »... Corfinii autem B. Pelino Deum orante, ingens turbo et tonitrus Martis templum subverterunt. « Quo facto templorum pontifices non ferentes mortem praesidis et aliorum et iniuriam simulacrorum ulcisci cupientes, impetum in Pelinum virum sanctissimum fecerunt et octaginta et quinque vulneribus confossum interfecerunt; prius tamen virgis ultra modum ceciderunt. Itaque B. Pelinus episcopus, nonis decembris mundo discedens (*anno* 363), in Christi pace quievit (2) »... Paucis post annis, sub Ioviniano principe, praefecto Nicostrato, qui frustra Corfinium « in incredulitatis perfidia permanens » obsederat, B. Pelinus nocte in visu apparuit, dixitque : « Ante portam civitatis, in via ubi columna eversa est, fodite et corpus meum invenietis ; levate illud et in sepulcro ponite, ecclesiamque ibidem fundate. Quo facto victores eritis (3). » Sic enim res se habuit : « Erat autem Corfinia populosa et magna civitas, infra cuius murorum ambitum trecenta et viginti idolorum fana constructa erant (4) ». Victores urbem vastarunt : « Corfinia civitas a senatu romano in ore gladii consumpta

(1) *Vita S. Pelini*, in : Bern. de Silvestri, *Esame apologetico su la vita e passione di S. Pelino martire*, Prato, 1887, p. 192. — Cf. Ughelli, *Italia sacra*, t. IX, p. 11.

(2) De silvestri, *op. cit.*, p. 196.

(3) *Ibid.*, p. 198.

(4) *Ibid.*, p. 200.

est (1) ; » totam provinciam christianus populus replevit. Nunc antiquum Corfinii situm pagus *Pentima* nuncupatus obtinet, ecclesiaque S. Pelini adhuc exstat.

Vitam martyris valde suspectam habeamus. Sancti Pelini, patroni Paelignorum, commemoratio memoriam deae Pelinae, fautricis, paelignae gentis, refert. Iulianus porro sub principatu suo nunquam Romae commoratus est. Ceterum e variis in medio aevo conscriptis documentis apparet Corfinium paulatim et sero, neque uno ictu per vim et violentiam, periisse (2). Subditiciis igitur B. Pelini Gestis nihil inest auctoritatis.

Quamvis aetate christiana fere unaquaeque priscarum civitatum dioecesis facta sit, nullum superaequanum episcopum reperimus. Palladius quidam, « episcopus ecclesiae sulmonitanae », anno 399 romano concilio interfuit (3). Sed postea tota Paelignorum regio dioecesim unam constituit, valvensem nuncupatam (4). Subobscura est origo huius nominis, quod non in civitatem unam sed in universam regionem ceciderat. Forte, ut ait *Leandro Alberti*, « tractus omnis Valva propterea dictus est, quod per paucissimas tantum angustias aditum praebeat, tanquam per ostia, quae Latinis etiam valvae dicuntur : ideoque deperdito nomine Paeligno-

(1) *Ibid.*, p. 202.

(2) Giov. Pansa, *la Distruzione di Corfinio e gli atti apocrifi di S. Pelino, vescovo di Brindisi*, in : *Noterelle di varia erudizione*, Lanciano, 1887, p. 181.

(3) Mansi, *Concilia*, t. VIII, p. 234. — Ughelli, *Italia sacra*, t. I. p. 1359.

(4) Ughelli, *loc. cit.* — Cf. Faraglia, *Codice diplomatico sulmonense*, Lanciano, 1888, *Introd.* ; et : *I miei studii storici delle cose abruzzesi*, Lanciano, 1893, p. 161 : *Saggio di corografia abruzzese mediœvale* (*estr. dell' Arch. Storico*, Napoli., 1891).

rum, ager hic Valva ex condicione situque suo vocatur (1). » Gerontius, valvensis episcopus, semel et iterum in S. Gelasii I romani pontificis epistulis citatur (2). Septimo p. C. n. saeculo S. Pamphilo, genere Sulmonensi, « Sulmonis Corfiniique episcopo in provincia valvensi », lis infertur, quod susciperet suspicionem arrianae haereseos (3). Langobardi, Arrii sectatores, apud Paelignos S. Peregrinum, Amiterni episcopum, in Aternum flumen demerserunt (4). Loci nomen *Fara,* quod crebro in Italia media reperitur, testis est Langobardos has regiones dominatu tenuisse (5).

(1) L. ALBERTI, *Descrittione di tutta Italia*, Vinegia, 1551, citat. in *Acta Sanctorum*, Aprilis mensis, t. III, p. 590.

(2) JAFFÉ-WATTENBACH, *Regesta Pontif. roman.*, t. I, p. 86, nº 648 et 649 ; p. 88, nº 663 ; p. 90, nº 705 et nº 707 ; p. 93, nº 723 ; p. 94, nº 739.

(3) *Acta Sanctorum*, Aprilis mensis, t. III, p. 589.

(4) *Acta Sanctorum*, Junii mensis, t. III, p. 181 (de S. Cetheo, alias Peregrino).

(5) Cf. FARAGLIA, *I miei studii storici*, etc., p. 167 ; — HARTMANN, *Geschichte Italiens im Mittelalter*, t. II, 1, Leipzig, 1900, p. 53-53.

# PARS TERTIA

## Regionis Paelignorum antiqua chorographia.

---

## CAPUT PRIMUM

### De finibus regionis Paelignorum.

C. Plinius Secundus asserit romanorum principum temporibus in quarta Italiae regione populos octo exstitisse: Samnites, Frentanos, Marrucinos, Paelignos, Vestinos, Marsos et Albenses, Aequiculanos, Sabinos (1). Ceteris populis undique circumfusis, Paeligni partem quartae regionis maxime mediterraneam inhabitabant. A mari retracti, vallesque Aterni medii et amnium in eum influentium, ut supra diximus (2), colentes, Samnitium, Frentanorum, Marrucinorum, Vestinorum, Sabinorum, Marsorum fines contingebant.

Ptolemaeus falso profitetur paelignam regionem ad litus Adriaticum pertinere (3).

Παιλιγνῶν ὁμοίως (id est : in Ionio mari).

| | | |
|---|---|---|
| Σάρου ποταμοῦ ἐκβολαί | μα′ γ″ | μϐ′ |
| Ὄρτων | μ′ λ″δ″ | μϐ′ δ″ |

(1) Plin., *Hist. Nat.* III, 12, 17.
(2) Cf. *supra*, p. 14.
(3) Ptol., III, 1, 16.

Cum ei Sagri fluvii ostia urbemque Ortonam adscribit, in manifestum errorem inducitur. Sagri enim ostia et Ortona Frentanorum erant (1). Idem ipse Ptolemaeus alibi, iure optimo, Paelignos μεσογείους appellat (2).

Strabo contendere videtur eos, a Frentanis Sagro fluvio separatos, simul ac Marrucinos Vestinorum urbem Aternum tenere : Τὸ δὲ πόλισμα τὸ ἐπόνυμον αὐτοῦ (id est : τοῦ ποταμοῦ) Οὐηστίνων μὲν ἐστι, κοινῷ δ' ἐπινείῳ χρῶνται καὶ οἱ Πελίγνοι καὶ οἱ Μαρρουκῖνοι...... Μεταξὺ δὲ Ὄρτωνος καὶ Ἀτέρνου ὁ Σάγρος ποταμὸς ὁρίξων τοὺς Φρεντανοὺς ἀπὸ τῶν Πελίγνων (3). Sed ex his duobus locis alter merito corruptus fuisse existimatur, alter saepe perperam interpretatus est. Scholiastes quidam, neque ipse Strabo, inter Ortonam et Aternum collocavit Sagrum, qui revera inter Ortonam et Histonium (*Vasto*) illabitur mari. Vestinorum portum, non longe a Corfinio, Sulmone, Superaequo positum, Aternum flumen paelignae valli connectebat. Paeligni igitur eodem emporio uti poterant quo Vestini ac Marrucini. Res quidem, nostra sententia, nullo pacto postulabat ut eorum ager litus tangeret.

De regionis Paelignorum terminis statuendis magna est inter recentiores scriptores controversia (4).

Ad meridiem saltem, ut verbis utar quae iam noster *Fernique* scripsit : « Marsorum Paelignorumque fines certi sunt..... (5). Fucini regio perpetuis montibus definitur, quibus Sagittarii (*Sagittario*) vallis a valle Juvenci

(1) Plin., *op. cit.*, III, 12, 17 ; — Strab., V, p. 242.

(2) Ptol., III, 1, 64.

(3) Strab., *loc. cit.*

(4) Cf. Romanelli, *Antica topogr. istorica del regno di Napoli*, Napoli, 1819, t. III, sez. IX, cap. 2, p. 129.

(5) Fernique, *de Regione Marsorum*, p. 19.

(*Giovenco*) dividitur (1). » Alta iuga (*monte Sirrente, monte Bore, monte Ventrino, la Meta*) paeligno agro modum faciunt, hominesque observaverunt limites quos ipsa natura egerat.

Sed ubique alibi finium descriptio dubitationem aliquam habet. Cum magnam planitiem, intersecivis limitibus definitam, Aternus medius et amnes rivique in eum sese exonerantes alluant, Paeligni, qui in his vallibus sedem collocaverant, terminos certos paulatim transgressi sunt. In agros finitimorum et consanguineorum populorum incesserunt, ad quos nempe fluvii cursus aut montium fauces dabant aditum. Adverso Aterno euntes, ultra superaequanam vallem, Sabinis occurrerunt. Flumine secundo, trans angustias (*Gola di Tremonti*), amnis Tirini utramque ripam incoluerunt, Vestinis repulsis. Montis *Morrone* terga ita assecuti, Marrucinis et Frentanis obvii venerunt, per vicinas planities dilapsi. Inter orientem solem et meridiem denique Sulmonenses ad Aufidenam, samniticam civitatem, primam Caracenorum urbem, tetenderunt; transitus enim inter paelignum agrum et superioris Sagri amnisque *Aventino* valles per campos *Piano di cinque miglia* vocatos haud difficilis erat. Omnes suos nativos limites paeligna gens praeteriit.

Ceterum in finibus pro temporibus variatum est (2). Quaedam recentiora locorum nomina in valle amnis *Aventino* reperimus (*Taranta Peligna, Lama de' Peligni; Torricella Peligna*), quae nobis argumento sunt veterem populum antiquitus hinc longissime progressum fuisse.

(1) *Ibid.*, p. 13.

(2) De Pietra, in : *Archiv. stor. per le provincie Napolet.*, t. XV, 1890, p. 438.

Romanae tamen dominationis aetate haec regio e Samnitibus et Frentanis pendebat. Latini tituli ibi inventi nusquam Sergiam tribum, cuius erant Paeligni, commemorant. Inscriptiones maximi sunt momenti ad regionis terminos circumscribendos. Earum auxilio praesertim usi sunt *Mommsen*, qui in *Corporis* nono volumine fines restituit, et *Kiepert*, qui tabulam geographicam delineavit huic libro adiectam. Cum a Sagri et Aventini vallibus excludant Paelignos, iis contra Interpromium adiudicant, et recte quidem fecerunt. *Barnabei* vero existimat Interpromium Marrucinis assignandum esse (1), quod Arnensis tribus, cui Marrucini adscriberentur, mentionem faciat titulus apud *Letto Manopello* inventus (2) ; praeter haec, cum e scripturae forsitan menda interpromina inscriptio Sex. Pedium Aniensi tribu Lusianum Hirrutum citet (3), huius viri, ut videtur, filius neposque, Arnensi tribu, in inscriptionibus urbanis nominantur (4). Sed apud *Torre dei Passeri* titulus Sergiam Paelignorum tribum habens, deprehenditur (5) ; ad Sulmonem porro ducit, ut ait *Mommsen* (6), quod Sulmonii duo, liberti scilicet reipublicae sulmonensis, Interpromini pagi ponderarium refecerunt (7).

Itaque, quod ad romanam aetatem attinet, *Corporis Inscriptionum Latinarum* auctoribus in universum ac-

(1) *Notiz. d. Scavi*, 1887, p. 159.
(2) C. I. L., IX, 3072.
(3) *Ibid.*, 3044.
(4) C. I. L., VI, 1445 et 1486.
(5) C. I. L., IX, 3049.
(6) C. I. L., IX, p. 287.
(7) C. I. L., IX, 3046.

quiescere decet atque eo stare quod censuerunt. Quamvis singula nonnunquam coniectura constent, diligenter et apte limites effinxerunt. His in rebus arduis et obscuris probabiliora sequenda sunt.

Saepissime post veteres populos eorum termini superstites manserunt. Unicae tamen dioecesis quam medio in aevo paelignae tres civitates fecerunt haudquaquam fines congruunt cum iis quibus Paeligni imperatoria aetate includebantur. *Faraglia* nuper pontificum romanorum bullas duas publicavit quae magnopere huius materiae intersunt (1). Innocentius II, anno 1138 p. C. n., et Clementius III, a. 1188, « ad pacem et stabilitatem sanctae valvensis ecclesiae perpetuo conservandam... quaecumque bona quascumque possessiones eadem ecclesia in praesentiarum iuste et canonice possidet » confirmant. « In quibus haec propriis nominibus duximus exprimenda. » Ecclesias singillatim exsecuti sunt quibus valvensis episcopus praeerat, et postea « universas parrochiae fines » quam accuratissime descripserunt, « a parte Teatini comitatus... a parte autem Pinnensis comitatus... a parte autem Marsicani comitatus ». Termini qui erant a parte comitatus Furfonensis desiderantur, sed *Faraglia*, ad alia eiusdem temporis documenta respiciens, lacunam explere potuit (2). Valvensi parochia valvensique comitatu, nam huius fines ab illius limitibus non abhorrebant, continebantur et Sulmonensis planities parvaeque valles contiguae, cum Sulmone, Corfinio, Superaequo, et am-

(1) Faraglia, *Codice diplomatico sulmonense*, nº XXXIII, p. 43, et nº XLI, p. 52.

(2) Faraglia, *Codice diplomatico sulmonense*, *Introd.*, p. 19; et : *I miei studii storici delle cose abruzzesi*, p. 191.

nis Tirini vallis usque ad Aufinum (*Ofena*), et campi *Piano di cinque miglia* vocati usque ad Sagrum fluvium et ipsius Sagri pars superior cum Aufidena et Trebula. Valvensis regio ad hunc fluvium versus longius procedebat quam antea paeligna, et in antiquos Caracenos Frentanosque incurrebat. Res ita forsitan rediebant in veterrimum statum ; antequam Romani Italia media potiti sunt, liberi quoque Paeligni vallium suarum terminos a natura positas excesserant. Valvensis dioecesis, *gastaldati* cuiusdam a Langobardis septimo p. C. n. saeculo constituti modum complexu suo coercens (1), e quattuor aut quinque romanarum civitatum agris constabat.

(1) Cf. *Liber Pontificalis*, éd. L. Duchesne, t. I, p. 426 (Vita Zachariae, 741-752) : « Trasimundus dux Spoletini se subdiderunt Marsicani et Furconini atque Valvenses seu Pinnenses. »

## CAPUT SECUNDUM

### De viis regionis Paelignorum.

Antiquarum viarum quae per regionem Paelignorum transibant et eam cum ceteris Italiae mediae regionibus coniungebant notitiam nobis servaverunt miliaria quaedam, Itinerariumque Antonini Augusti et Tabula Peutingeriana. Nonnulla earum trunca vestigia adhuc exstant.

Valeria via, per quam a Roma in Marsorum Paelignorumque regiones perveniebatur, sive a M. Valerio Maximo, qui censor erat anno 484/270, sive a L. Valerio Flacco, qui M Porcii Catonis collega erat anno 568/186, munita fuit (1). In Strabonis quinto libro, Tiberii principis aetate composito, legimus : Ἡ δὲ Οὐαλερία ἄρχεται μὲν ἀπὸ Τιβούρων, ἄγει δὲ ἐπὶ Μαρσοὺς καὶ Κορφίνιον τὴν τῶν Πελίγνων μητρόπολιν (2). C. Iulio Caesari in animo fuit ut eam usque ad Adriaticum mare perduceret : « Iam de ornanda instituendaque Urbe, item de tuendo ampliandoque imperio, plura ac maiora in dies destinabat... emittere Fucinum lacum, viam munire a mari supero per Appennini dor-

(1) Fernique, *de Regione Marsorum*, p. 28.

(2) Strab., V, p. 238.

sum ad Tiberim usque (1). » Quod Caesar dictator destinaverat, exsecutus est Claudius princeps. Hoc enim miliarium paulo ultra Teate Marrucinorum (*Chieti*) inventum fuit :

*Ti*(*berius*) *Claudius* | *Caisar* | *Aug*(*ustus*) *Ger*(*manicus*), *pont*(*ifex*) *max*(*imus*), | *trib*(*unicia*) *pot*(*estate*) *VIII*, *imp*(*erator*) *XVI*, | *co*(*n*)*s*(*ul*) *III*, *p*(*ater*) *p*(*atriae*), *censor*, | *viam Claudiam Valer*[*iam*] | *a Cerfennia* (2) *ostia Ate*[*rni*] | *munit idemque* | *pontes fecit*; | *XLIII* (3).

Littera V bis, claudiano more, ita scribitur : F. Titulus anno 48/49 p. C. n. exaratus est. Ex eo apparet Valeriae viae nunc usque ad Aterni ostia productae ultimam partem ab ipso principe viam Claudiam Valeriam appellari. A Cerfennia profecto milia passuum recensebantur.

Miliarium aliud proferamus, apud ecclesiam *S. Clemente di Casauria* repertum, in extremis paelignae regionis finibus. Lapis ille cuius verba paene exoleta sunt, ad viam Claudiam Valeriam spectat.

*D*(*omino*) *n*(*ostro*) *Fl*(*avio*) *Claudio Iuliano* | ... *patron*...*r*...*run*... | ...*d*... (4).

Anno 1899 in pago *Goriano Sicoli* vocato corruptam inscriptionem vidimus, quam *Ant. de Nino* nondum pervulgavit. Vix litteras nonnullas discrevimus :

ANI
KH PRE
POV
FATIO
TORI

(1) Suet., *Caesar.*, 44.

(2) Attamen asserebat Strabo viam Tiberii tempore usque ad Corfinium munitam esse. Sed forte erravit : Corfinii Cerfenniaeque nomina maximam habent inter se similitudinem, qua scriptor deceptus est.

(3) C. I. L., IX, 5973.

(4) *Ibid.*, 5972.

A CERF\... PAS MPER
AVG MIVS V C
CONS WNONIÆ
PIO XRANI[s]
XC

P. Ovidius Naso dixit:

Sulmo mihi patria est, gelidis uberrimus undis,
Milia qui novies distat ab Urbe decem (1).

Et reipsa haud longe a Sulmone miliarium positum erat, quod hunc numerum incisum ferebat.

Itineraria spatium describunt a Valeria via emensum locosque plurimos inter Romam et litus Adriaticum indicant. A Marsorum regione usque ad Marrucinos infra scripta nomina invenimus (2):

| *Itinerarium Antoninianum:* | | *Tabula Peutingerania:* | |
|---|---|---|---|
| CERFENNIA | | CIRFENNA | |
| | XVI m.p. | | V m.p. |
| | | MONS IMEUS | |
| | | | ? |
| | | STATULE | |
| | | | VII m.p. |
| CORFINIO | | CORFINIO | |
| | XI m.p. | | VII m.p. |
| INTERPROMIUM | | INTERPROMUM | |
| | XVI (vel potius ex alio codice) XVI m.p. | | V m.p. |
| TEATE MARRUCINO | | TEANO MARRUCINOCEIOS | |

Quamvis hoc intervallum Tabula Peutingeriana silentio praetereat — nam ibi interrupta est linea quae in Tabula Valeriam designat — a monte Imeo usque ad Statulas patebant quattuor milia passuum. Tabulae porro

(1) OVID., *Trist.*, IV, 10, 3.

(2) *Itinerarium Augusti Antonini*, ed. WESSELING; — *Tabula Peutingeriana*, ed. E. DESJARDINS. — Cf. C. I. L., t. IX, p. 204; — FERNIQUE, *op. cit.*, p. 29.

scriptor bis erravit : a Corfinio Interpromium undecim milia passuum distat, neque septem ; ab Interpromio Teate Marrucinorum septemdecim, neque quinque. Nihil miremur : quarto p. C. n. saeculo Tabula delineata fuit ; caute igitur ea utendum, « neque dubidantum est miliariorum numerum interdum emendare, quoties locorum intervalla non eadem sunt atque in recentiorum geographorum tabulis (1). » Itinerarium Antoninianum fide potius dignum putamus.

Quae cum ita sint, qua ducta fuerit Claudia Valeria via facile dici potest. Paelignam regionem ad montem Imeum subibat, qui mons esse videtur nunc *Ventrino* vocatus, unus e praecipuis Marsorum verticibus. Huius nominis statio, « medias inter fauces sita, erat quam Furcam Carusam (*Forca Caruso*) dicunt (2). » Statulas neque tituli neque scriptores antiqui commemorant. Attamen, ut noti sunt montis Imei et Corfinii situs, ita novimus ubi Statulae fuerint, id est apud *Goriano Sicoli*. Etenim haud longe ab illo pago veterrima rudera vidimus in loco *la Statura* nuncupato (3). Via postea Corfinium attingebat et inde, iter ad septentriones avertens, amnem *Sagittario*, in quo pons erat, superabat. Aterni denique stringebat dextram ripam usque ad Interpromium. *Ant. de Nino* diversis in locis Claudiae Valeriae viae vestigia invenit (4).

Viam aliam, ad extremam paelignae regionis oram pertinens, munierat Claudius idem princeps, qui nimi-

(1) Fernique, *op. cit.*, p. 31.

(2) Fernique, *op. cit.*, p. 36.

(3) Cf. *Notiz. d. Scavi*, 1878, p. 316 ; 1886, p. 432 ; 1889, p. 344.

(4) *Notiz. d. Scavi*, passim. — Cf. Bunsen, *Ann. dell' Instit.*, 1834, p. 127.


rum Italiae mediae exornandae multam dedit operam. Miliarium apud *Civitatomassa* repertum, in Sabinorum agro, viae nomen initiumque et terminum indicat:

*Ti(berius) Claudius | Drusi f(ilius) Caesar | Aug(ustus) Germanicus, | pontif(ex) max(imus), tr(ibunicia) pot(estate) VIII, co(n)s(ul) III, imp(erator) XI, p(ater) p(atriae), censor designat (us), | viam Claudiam novam | a Forulis ad conflu | entis Atternum et | Tirinum per passuum XXXXVIICLXXXXII sternendam curavit* (1).


Titulus anno 47 p. C. n. conscriptus est. Claudia nova via 47.192 passus emetiebatur. Aterno superato, finem habebat prope pagum *Popoli* vocatum. Hic Paeligni aedificaverant pontem, cuius mentionem faciunt Caesar, Strabo, Lucanus et *Acta Sanctorum* (2). Itineraria de via illa silent.

Ceterum in iis via quaedam memoratur quae ab Appia extendebatur ad Valeriam, et Corfinium vel Interpromium per Beneventum, Bovianum, Aufidenam, Sulmonem petebat (3).

*Itinerarium Antoninainum*:




*Tabula Peutingeriana* :




(1) C. I. L., IX, 5959.
(2) Cf. *supra*, p. 80 et 96.
(3) C. I. L., IX, p. 203.

Corfinium revera, at non Interpromium, finis erat itineris. Septem milia passuum inter Corfinium et Sulmonem patebant, ut inter Statulas Corfiniumque. Caesar hunc numerum confirmat: « Oppidum (*Sulmonensium*) a Corfinio septem milium intervallo abest (1) ». Via sulmonensem planitiem recta linea traiciebat. Sed spatium quod a Sulmone usque ad Aufidenam percurrebat illa minus cognovimus. Itineraria enim numeros dissimiles referunt, Tabula Peutingeriana 37 milia passuum, Antoninianum Itinerarium 43. Forte, ut opinatur *L. Mariani*, in cursu pro temporibus variatum est (2). Romanorum principum aetate via consularis a Sulmone ad Aeserniam per campos *Piano di cinque miglia* dictos tendebat, satis longe ab antiqua et iam inclinata Caracenorum urbe, Aufidena, praeteriens. At putandum est primum Aufidenam ipsam cum Sulmone coniunctam fuisse, viamque per montes Betifulumque et amnis *Sagittario* vallem transire. *Ant. de Nino* rudera bis invenit, apud Betifulum et prope pagum *Campo di Giove* (3). Situs quem occupabat statio *Iovis Lareni*, ubi profecto fanum erat, in incerto habetur. *Cluverius* et *Holstenius* pro *Lareni* legebant *Paleni*: nonne huius nominis memoriam retinent recentiores pagi *Palena*, *Letto Palena*, *Gessopalena*, urbs antiqua *Pallanum*, mons nunc *monte Pallano* nuncupatus? Iovem veteres in summis montibus venerabantur. Poeninus, Olympius, Tarpeius, Capitolinus, etc., dicebatur. *Paleni Iovis* fanum in montis *Majella* vertice, inter Paelignos et Frentanos, exstructum fuerat, prope publi-

(1) Caes., *de Bell. civ.*, I, 18.
(2) L. Mariani, *Aufidena*, p. 266 et 413.
(3) *Notiz. d. Scavi*, 1886, p. 429 ; 1896, p. 239.

cam viam. Forsitan hodie pagus *Campo di Giove*, Iovis campus, haud procul ab eo abest (1). *L. Mariani* contra veterem stationem circa *Pettorano sul Gizio* collocat (2). Res adhuc dubitationem suscipit.

Recentiores scriptores tertiam Paelignorum viam Minuciam vel Numiciam appellant (3). L. Minucius viam munierat quae a Roma ad Brundisium per Sabinorum regionem convertebat. Flaccus dicit :

Brundusium Minuci melius via ducat an Appi (4) ?

Et M. Tullius : « Nos adhuc Brundisio nihil Roma scripsit Balbus... cohortes sex quae Albae fuissent, ad Curium [via] Minucia transisse (5). »

Vias nempe alias et tramites multos duxerant Paeligni Romanique. Itineraria, quae tantum praecipua itinera describunt, minora omittunt.

(1) Cluver., *Italia Antiqua*, p. 759 ; Holsten., *ad Cluver.*, p. 145 : « Est enim *Campo di Giove* hodie sub summo Maiellae iugo, ubi duplex eius montes transitus, quorum alterum Furcam Cocciae, alterum Furcam Pallenae vocant ; vicus autem ille campus Iovis dictus in planitie situs est, VI m. a Sulmone distans, quae VII sunt m. p., atque isthic etiam nunc divertigium viarum est. »

(2) L. Mariani, *op. cit.*, p. 412.

(3) Cf. Romanelli, *Antica topogr. istorica del regno di Napoli*, t. III, p. 722.

(4) Horat., *Epist.*, I, 18, 20.

(5) Cic., *ad Att.*, IX, 6.

## CAPUT TERTIUM

### De Paelignorum civitatibus et pagis.

Paelignorum regione tres civitates continebantur, Corfinium, Sulmo, Superaequum (1). Agri nimirum in civitates distributi sunt postquam Romani Italiam mediam occupaverunt (2). « Oppidorum singulorum fines bene distinguere res difficilima est (3). » Rationem habeamus geographici locorum situs et indiciorum quae in inscriptionibus admodum raro deprehendi possunt. Urbibus directo ordine positis, Corfinii erat media pars regionis, tum Sulmonis ea quae ad orientem solem vergit, denique Superaequi ea quae ad occidentem spectat.

Corfinium praecipua Paelignorum civitas dicebatur (4) : Πελίγνων μητρόπολις (5). In vicino montium, inter Aterni fluminis amnisque *Sagittario* valles, faucibus et

(1) Plin., *Hist. Nat.*, III, 12, 17.

(2) Beloch, *der Italische Bund*, p. 21.

(3) Kubitschek, *Imperium romanum tributim descriptum*, p. 52.

(4) Romanelli, *Antica topogr. istorica del regno di Napoli*, t. III, p. 140. — Smith, *Dictionary of greek and roman geography*, s. v° ; — C. I. L., t. IX, p. 296. — Stoffel, *Histoire de Jules César, Guerre civile*, t. I, p. 18 et p. 240 ; — Hülsen, in : Pauly-Wissowa, *Real Encyclopädie*, s. v°.

(5) Strab., V, p. 241.

angustiis imminens quae Paelignis in finitimas regiones transitum praebebant, planum verticem occupabat natura ipsa munitum. Cum priscis temporibus paludes undique circumiacerent, facillime erat hostes urbis aditu prohibere. Recentior pagus *Pentima* dictus in extrema et altissima antiquae civitatis parte, septentriones versus, nunc assurgit. Hic nempe arcem primi incolae exstruxerant. Romana autem aetate urbs multo longius pandebatur. Muri enim episcopalis ecclesiae, B. Pelino dedicatae, quae a pago *Pentima* mille passus distat, e latinis titulis aliisque veteribus lapidibus constant, ibique nuperrime effossa multa rudera in lucem prolata sunt.

Quid valeat Corfinii nomen ignoramus. Animadvèrtendum est tamen urbem quamdam Marsorum, haud procul positam, Cerfenniam olim nominari. Corfinium Cerfenniaque pari modo consonant. Italorum dii Cerri vel Cerfi aut Kerfi vocabantur (1). Nonne verisimile sit Corfinii Cerfenniaeque nomina in latinum translata *Deorum sacras urbes* significare? Saepe veteres oppidis suis appellationes imposuerunt a natura deorum productas. Neminem fugit, exempli causa, apud Marsos Marruvium exstitisse, id est Martis civitatem.

Primam Corfinii mentionem apud Silium Italicum invenimus; is autem poeta urbem per errorem Marrucinis assignat (2). In marsico bello socii Corfinio, quod foederis caput elegerant, novum Italicae aut Italici nomen dederunt (3). C. Iulius Caesar hoc oppidum

(1) Cf. *supra*, p. 54.
(2) Sil. Ital., VIII, 522. Cf. *supra*, p. 64.
(3) Cf. *supra*, p. 72.

postea, civilis belli tempore, obsedit (1). Imperatoria aetate parum spectatum fuisse videtur; geographi tamen (2) et itineraria (3) nomen eius proferunt. *Liber Coloniarum* ter limites agrorum romanis colonis concessorum describit : « Iter populo debetur ped. LXXX cuius agri mensura in tetragonon variis locis est collecta, et termini silicei sunt appositi, quorum distantia est in p. DCCXX, in p. DCCCLX. Hoc in locis montuosis : in quibus alii iuxta naturam loci spissiores sunt, id est sine mensura sunt appositi. Et interiectis locis muros, macherias, lacos convallium, aras, canabula, quod tegulis construitur (4). » — « Corfinius ager limitibus maritimis et montanis in iugera CC sunt assignati..... Iter populo debetur ped. LXXX. Ager eius in tetragonon est assignatus, et silicei termini sunt appositi, qui distant a se in ped. a DCXX usque in ped. DCCCLX. Et alia signa secundum auctorum doctrinam (5). » — « Corfinius ager limitibus maritimis et montanis in centuriis singulis iugera CC. Finitur terminis tiburtinis et rivis, arboribus peregrinis, vel ante missis, monumentis, viis, nymphis. Ager eius in precisuris est assignatus (6). »

Dialecticae latinaeque inscriptiones in veteris civitatis territorio inventae sunt. De dialecticis titulis iam supra actum est (7). Latinos titulos citavimus qui ad deos, ad pontifices sacerdotesque, ad publicos honores perti-

(1) Cf. *Supra*, p. 78.

(2) PLIN., *Hist. Nat.*, III, 12, 17; — PTOLEM., III, 1, 64; — STRAB., V, p. 241.

(3) Cf. *supra*, p. 109.

(4) *Lib. colon.*, I, p. 228, 18.

(5) *Ibid.*, II, p. 255, 3 et 12.

(6) *Ibid.*, II, p. 260, 3.

(7) Cf. *supra*, p. 47.


nent (1). E ceteris nonnulli nos certiores faciunt quis esset municipalium rerum status. C. Iulius Caesar duumviros corfinienses commemorat (2), sed *Mommsen* censet locum emendandum esse, legitque : *quattuorviros* (3). Etenim corfiniensis civitas municipium erat (4), cuius cives ordinem decurionum senatum (5) vocabant, magistratus quattuorviros (6) vel quattuorviros iure dicundo (7), quattuorviros quinquennales (8), praefectos quattuorviros (9), aediles (10), curatores kalendarii rei publicae (11), tribunos militum a populo (12). Collegia fabrum (13) et venatorum (14), operae urbanae scabillarii (15) aderant in civitate. Corfinienses patronis suis statuas aut lapides saltem sacraverant (16). Urbis monumenta quaedam commemorantur : templum (17), aedes podiumque et crypta (18), theatrum (19), macellum (20).

(1) Cf. *supra*, p. 88.
(2) Caes., *de Bell. civil.*, I, 23.
(3) C. I. L., IX, p. 297.
(4) C. I. L., IX, 3158 : « maximis municipi honorib(us). »
(5) *Ibid.*, 3151, 3173.
(6) *Ibid.*, 3175.
(7) *Ibid.*, 3160, 3164, 3165, 3174, 3178, 3314.
(8) *Ibid.*, 3173.
(9) *Ibid.*, 3160.
(10) *Ibid.*, 3160, 3176.
(11) *Ibid.*, 3160.
(12) *Ibid.*, 3155, 3159.
(13) *Ibid.*, 3148.
(14) *Ibid.*, 3169.
(15) *Ibid.*, 3188.
(16) *Ibid.*, 3154. — Cf. 3160, 3183.
(17) *Ibid.*, 3149.
(18) *Ibid.*, 3168.
(19) *Ibid.*, 3173. — Cf. 3188.
(20) *Ibid.*, 3162. — Cf. 3172.

*Stoffel* noster anno 1879 effossiones Corfinii auspicatus est; sibi propositum erat Caesaris castra reperire (1). *Ant. de Nino*, laboris socius et consors, opus inceptum summa cum cura et constantia peregit, tabulamque infra scriptam, quae adhuc inedita est, delineavit. Apud episcopalem ecclesiam fossae vestigia invenit quae forsitan Caesaris vallum fuit. Sed postea, romanorum principum temporibus, urbs usque ad hanc regionem extendebatur; muri vastum spatium circumdabant, quod *de Nino* Forum vel basilicam appellat; piscina autem ibi reperta, hoc erat potius palaestra ingens, in mediis thermis sita; in propinquo aedificia varia Corfinienses posuerant: unius ex iis locum episcopalis ecclesia obtinet. Inter Forum istud et recentiorem pagum *Pentima*, vel antiquae civitatis arcem, sepulcra erant exstructa nempe antequam urbis circuitus adeo porrigeretur. Res omnes quas nobis restituit sepulcrorum aut urbis ipsius exploratio *Ant. de Nino* diligentissime descripsit (2); eas Paelignum Museum, quod in pago *Pentima* constitutum est, asservat. Rudera passim in summa terra apud *Pentima* habemus spectanda, sed corruptissima et parvi momenti; propter recentiorem viam quae a *Pentima* usque ad *Raiano* ducit (*strada nazionale*), in vicem Claudiae Valeriae successa, mausoleo-

(1) *Notiz. d. Scavi*, 1879, p. 207 et 315.

(2) *Ibid.*, 1877, p. 92 et 127 (sigilla), 211, 275; 1878, p. 40, 90, 254; 1879, p. 42, 182, 224, 315, 334; 1880, p. 143 (sepulcra), 296 (id.), 382 (id.), 449; 1881, p. 121; 1882, p. 117 (sepulcra), 238, 275; 1883, p. 89 (sepulcra); 1884, p. 44; 1885, p. 170, p. 206; 1886, p. 421; 1887, p. 292; 1888, p. 144, 198, 645; 1889, p. 165, 282; 1891, p. 171; 1894, p. 179, p. 386; 1895, p. 93 (sepulcra), 1896, p. 52 (id.), 170, 298 (sepulcra), 374 (id.), 490; 1897, p. 342.




Corfiniensium effossionum imago. — Tabulam anno 1879 delineavit *Ant. de Nino*. (Modulus : $\frac{1}{2270}$).

rum denudati muri conspicuam excelsitatem contingunt.

In media parte regionis Paelignorum pagi nunc habitantur quos procul dubio veteres iam incolebant. Ibi enim sepulcra, monetae, dialecticae latinaeve inscriptiones, aedium vestigia, aquarum ductus, passim reperiuntur. Unius tantum nomen antiquum cognoscimus; in via Claudia Valeria statio erat, Statulae nuncupata (1); hodie, haud longe ab eius situ, *la Statura* vocato, pagus quidam, *Goriano Sicoli* dictus, exstat (2), cuius in agro rudera documentaque epigraphica apparuerunt (3). Apud *Raiano* invenit *Ant. de Nino* muros, titulos, tumulos (4), et notabilia aquaeductus, quo utebatur corfiniensis civitas, fragmenta (5). *Pagus Vittorito,* in sinistra fluminis Aterni ripa, Corfinio objectus est; eius nimirum ager iuris erat corfiniensis (6). Apud *Popoli,* cuius nomen profecto ab antiquo vocabulo ducitur, terminum suum via Claudia nova habebat (7); hic Romani pontem aedificaverant a Caesare, Strabone, Lucano, sanctorumque Gestis memoratum (8). Per *Pratola Peligna* transibat via quae inter Corfinium Sulmonemque munita fuerat (9).

(1) TAB. PEUTING.; Cf. *supra,* p. 109.

(2) Cf. FABRIZZI, *Uno sguardo a Goriani Sicoli,* in : *Bullett. di storia patria d'Aquila,* t. IX, 1897, p. 199.

(3) *Notiz. d. Scavi,* 1878, p. 319; 1886, p. 432; 1889, p. 344.

(4) *Ibid.,* 1878, p. 319; 1880, p. 252; 1882, p. 118; 1884, p. 109; 1888, p. 293; 1890, p. 193; 1891, p. 295; 1894, p. 255; 1898, p. 77; 1900, p. 242.

(5) *Ibid.,* 1888, p. 645.

(6) *Ibid.,* 1892, p. 123; 1894, p. 317 : 1899, p. 299.

(7) *Ibid.,* 1879, p. 42; 1887, p. 420; 1892, p. 123.

(8) Cf. *supra,* p. 80 et p. 96.

(9) *Notiz. d. Scavi,* 1878, p. 71 et 316; 1879, p. 147; 1886, p. 134;

Sulmo apud confluentes amnes *Gizio* et *Avella* positus erat, ubi nunc videmus *Sulmona* (1); sed urbs antiqua angustioribus limitibus conclusa erat quam recentior. Sepulcra inventa sunt prope ecclesiam *dell'Annunziata* dictam; haud secus ac Corfinii, episcopalis ecclesia longe ab hodierna civitate abest; existimandum est veterem Sulmonem inter hanc aedem et istam patuisse. Antiqua via quae Corfinium Aeserniae connectebat eum traiciebat. Ovidius Naso Siliusque Italicus originem oppidi a Solymo quodam, Aeneae comite, falso trahebant (2). Sulmonis nomen primum citatur cum de Hannibalis incursionibus agitur (3). In bellis marsico et civili cum Corfiniensibus fortunam Sulmonenses subierunt (4). Parum verisimile est Sullam urbem delevisse, ut recentiores scriptores saepe, e Flori loco male interpretato, dixerunt (5). Romanorum principum temporibus P. Ovidius Naso, Sulmonensis, patriam suam assidue collaudat (6). Iuvenalis tamen eam pro parva et agresti urbe, oppidanum vivendi genus praebente, habet:

> Quaedam parva quidem, sed non toleranda maritis.
> Nam quid rancidius quam quod se non putat ulla
> Formosam nisi quae de tusca graecula facta est,
> De sulmonensi mera Cecropis (7)?

1888, p. 238; 1891, p. 170, p. 239; 1895, p. 94; 1896, p. 106, p. 236; 1897, p. 203.

(1) ROMANELLI. *op. cit.*, t. III, p. 157; — SMITH, *op. cit.*, s. v°; — C. I. L., t. IX, p. 290.

(2) Cf. *supra*, p. 37.

(3) Cf. *supra*, p. 67.

(4) Cf. *supra*, p. 69 et 78.

(5) Cf. *supra*, p. 76.

(6) OVID., *Opera*, passim.

(7) IUVEN., VI, 187.

Geographi (1), Itineraria (2), *Liber Coloniarum* (3) Sulmonis inferunt mentionem.

Sulmonenses dialecticas inscriptiones, latinasque ad deos, sacerdotes, principum gentiles, publicos honores pertinentes praediximus (4). Eadem condicione fruebatur secunda Paelignorum civitas qua praecipua. Municipii dignitatem assecuta erat (5), magistratusque iustos habebat : quattuorviros iure dicundo (6), quattuorviros quinquennales (7), quattuorviros aediles (8), aediles (9).

*Ant. de Nino*, natu ipse Sulmonensis, peculiari cura ad antiqua urbis vestigia exquirenda incubuit. Muros, sepulcra, monetas, titulos, cloacas, aquaeductus, fragmenta ex opere signino confecta, diversis in locis crebro reperit (10). Extra Sulmonem sub montis *Morrone* vertice, rudera quaedam *villa di Ovidio* nuncupantur ; fama est poetam hic (apud monasterium *Badia di S. Spirito del Morrone* vocatum) praedium suum et villam habuisse ; in hac fabula nihil inest serii et gravis ;

(1) Plin., *Hist. Nat.*, III, 12, 17 ; — Ptolem., III, 1, 64 ; — Strab., V, p. 241.

(2) Cf. *supra*, p. 109.

(3) Cf. *supra*, p. 77 et 87.

(4) Cf. *supra*, p. 47 et 88.

(5) C. I. L., IX, 3082.

(6) *Ibid.*, 3082, 3083, 3084, 3086.

(7) *Ibid.*, 3082, 3096.

(8) *Ibid.*, 3084, 3093.

(9) *Ibid.*, 3083.

(10) *Notiz. d. Scavi*, 1877, p. 93 ; 1878, p. 169 et 180 ; 1879, p. 186, 280 ; 1880, p. 449 ; 1881, p. 60, 120, 143, 194 ; 1882, p. 116 ; 1883, p. 135, 213 ; 1885, p. 24, 321 ; 1886, p. 133, 424 ; 1887, p. 42, 159, 293, 459 ; 1888, p. 238, 294, 533 ; 1889, p. 44 ; 1890, p. 222 ; 1891, p. 205, 295 ; 1892, p. 59, 100, 320, 432 ; 1896, p. 52, 299 ; 1897, p. 67, 202, 276, 466 ; 1899, p. 68, 148 ; 1900, p. 151 ; 1901, p. 365.

medio in aevo locus *Fonte d'Amore* dicebatur, vel *Fonte l'Abate* (1).

Pagus Fabianus, quem Plinius commemorat (2), in agro sulmonensi erat; huius situm ignoramus. Alii pagi nomen forte legitur in titulo anno 1887 reperto propter amnem *Avella* :

*Callita*[*m*] | *callibus* | *ite*, | *ne iniuriam* | *ac*(*c*)*i-piati*(*s*) (3).

Nonne Callita loci appellatio esse videtur (4) ? Hinc itur ad *Campo di Giove*. Iovis Lareni vel potius Paleni fanum in illa regionis parte situm erat (5). Omnibus in recentioribus pagis circum Sulmonem antiqua sepulcra aut rudera inventa sunt : *Campo di Giove* (6), *Cansano* (7), *Pescocostanzo* (8), *Rivisindoli* (9), *Roccaraso* (10), *Pettorano sul Gizio* (11), *Introdacqua* (12), *Bugnara* (13), *Villalago* (14),

(1) *Ibid.*, 1878, p. 141, 318 ; 1879, p. 334 ; 1880, p. 50, 178 ; 1882, p. 238. — Cf. Ant. de Nino, *Ovidio nella tradizione popolare di Sulmona*, Casalbordino, 1886.

(2) Plin., *Hist. Nat.*, XVII, 26. Cf. *supra*, p. 18.

(3) *Ibid.*, 1887, p. 159.

(4) Conway, *The Italic Dialect.*, t. I, p. 250.

(5) Cf. *supra*, p. 112.

(6) *Notiz. d. Scavi*, 1886, p. 430 ; 1891, p. 295 ; 1896, p. 238 ; 1899, p. 499.

(7) *Ibid.*, 1886, p. 429 ; 1892, p. 276.

(8) *Ibid.*, 1896, p. 208.

(9) *Ibid.*, 1887, p. 420.

(10) *Ibid.*, 1887, p. 421.

(11) *Ibid.*, 1886, p. 135, 431 ; 1887, p. 296 ; 1890, p. 194 ; 1891, p. 171.

(12) *Ibid.*, 1877, p. 91 ; 1878, p. 298 ; 1879, p. 207 ; 1881, p. 144 ; 1890, p. 45 et 166 ; 1901, p. 285.

(13) *Ibid.*, 1886, p. 135 ; 1887, p. 43 ; 1891, p. 60 ; 1892, p. 170 ; 1894, p. 254.

(14) *Ibid.*, 1890, p. 46.

*Scanno* (1), *Anversa* (2), *Cocullo* (3), *Pacentro* (4), *Roccacasale* (5). Titulus apud *Scanno* repertum epitaphium est L. Gaidii Praesentis, « decurionis primi a Betifulo (6) ». *Scanno* igitur romana aetate Betifulum vocabatur. Veteres nominabant *Prezza* (7) Lavernas; inscriptiones enim illic apparuerunt quorum haec verba sunt.

*L. Statius Cn. f(ilius) Chilo | L. Pettius C. f(ilius) Pansa | C. Pettius V. f(ilius) Gemellus | L. Tattius L. f(ilius) Coxsa, | magistri laverneis | murum caementicium, | portam, porticum, | templum bonae Deae | pagi decreto faciendu(m) | curarunt probaruntq(ue)* (8).

*L. Anneius T. f(ilius) Rufus | L. Septimius Sa. f(ilius) Dentio L. Annius T. f(ilius) Gritto magistr(i) | ex pagi d(ecreto) scaina(m) fac(iendam) coir(averunt) | T. Annius T. f(ilius) Ruf(us) L. T. (filius) Gritto probaverunt* (9).

Lavernarum ergo aderant pagus, templum Bonae Deae, porticus, theatrum. Ad hunc pagum forsitan pertinet Plutarchi locus subobscurus : Sulla narrat belli socialis tempore apud Lavernam ignem e terra subito exiisse (10).

(1) *Ibid.*, 1898, p. 424.
(2) *Ibid.*, 1890, p. 129.
(3) *Ibid.*. 1899, 239.
(4) *Ibid.*, 1887, p. 44, 160.
(5) *Ibid.*, 1886, p. 422 ; 1888, p. 238 ; 1891, p. 170.
(6) C. I. L., IX, 3088.
(7) *Notiz. d. Scavi*, 1878, p. 299 ; 1887, p. 296 ; 1888, p. 293 ; 1889, p. 253 ; 1890, p. 129 ; 1894, p. 290 ; 1897, p. 203 ; 1899, p. 239.
(8) C. I. L., IX, 3138.
(9) *Ibid.*, 3137.
(10) Plut., *Sulla*, 6 : Ἐκπεμπομένου δὲ αὐτοῦ μετὰ δυνάμεως εἰς τὸν συμμαχικὸν πόλεμον ἱστορεῖ χάσμα τῆς γῆς μέγα γενέσθαι περὶ Λαβέρνην, ἐκ δὲ τούτου πῦρ ἀναβλῦσαι πολὺ καὶ φλόγα λαμπρὰν στηρίσαι πρὸς τὸν οὐρανόν.

In ecclesia *S. Clemente de Casauria* vocata, antiquus titulus asservatur :

*C.C. Sulmonii Primus et Fortunatus* | *[p]onderarium pagi interpromini* | *[vi] terraemotus dilapsum a solo [s]ua pecunia restituerunt* (1).

Pagum Interprominium, vel Interpromium, in Itinerariis memoratum, alii prope *Torre dei Passeri* (2), alii prope *San Valentino* (3) collocant. Supra iam quaesitum est utrum Marrucinorum fuisset, an Paelignorum (4). Quod si eum Paelignis tribuimus, e Primi Fortunatique communi nomine percipi potest sulmonense territorium potius quam corfiniense usque ad hanc Aterni fluminis partem patere. Sulmonensis igitur iuris erant vallis *di Tremonti* (5), *Castro Valva* (6), *S. Benedetto in Perillis* (7), *Tocco Casauria* (8).

Superaequum, tertia Paelignorum civitas, in parva valle conditum fuerat, haud longe a dextra fluminis Aterni ripa (9). Eius rudera planities ipsa nobis ostendit (10); in vicinarum collium vertice *Castelvecchio Subequo* homines postea exstruxerunt. Urbis historiam vicesque nescimus. Plinius (11) tantum et *Liber colo-*

(1) C. I. L., IX, 3046.

(2) *Notiz. d. Scavi*, 1901, p. 283.

(3) *Ibid.*, 1885, p. 204 ; 1887, p. 159 ; 1894, p. 386.

(4) Cf. *supra*, p. 104.

(5) *Ibid.*, 1877, p. 90, 126.

(6) *Ibid.*, 1889, p. 251.

(7) *Ibid.*, 1892, p. 484.

(8) *Ibid.*, 1896, p. 208.

(9) Romanelli, *op. cit.*, t. III, p. 134. — Smith, *op. cit.*, s. v° ; C. I. L., IX, p. 311.

(10) *Notiz. d. Scavi*, 1877, p. 209 ; 1892, p. 170 ; 1898, p. 71.

(11) Plin., *Hist. Nat.*, III, 12, 17.

*niarum* (1) Superaequi nomen proferunt. Sed inscriptiones in locum scriptorum subeunt. Magistratus commemorant: duosviros (2), duosviros iure dicundo (3), duosviros quinquennales (4), praefectos iure dicundo (5), aediles (6), tribunos militum a populo (7); patronos civitatis non omittamus (8). Pagus Vecellanus Q. Vario Gemino (9) et pagus Boedinus Q. Octavio Sagittae (10) titulos dedicaverunt; huius et illius situs plane incognitus; tertii pagi nomen periit, nomina tamen trium eius magistrorum ad nos pervenerunt (11). Antiqua rudera apud *Casteldieri* (12) et apud *Molina* (13) inventa sunt; prope montem Imeum et angustias *Forca Caruso* dictas superaequani inscriptionem consecraverant Liviae, Augusti matri (14).

Hoc denique in superaequana lapide legimus:

*Respublica* | *populusq*(*ue*) *Corfini*|*ensis formam aquae* | *ductus vetustate* | *corruptam d*(*ecreto*) *d*(*ecurionum*) *refecit* (15).

(1) *Lib. Colon.*, I, p. 229 (cf. *supra*, p. 77), II, p. 258, 15: « Ager eius limitibus maritimis et montanis est assignatus, in centuriis singulis iugera cc. Finitus sicuti ut supra legitur ager Marsensis. »

(2) C. I. L., IX, 3309, 3310.

(3) *Ibid.*, 3313.

(4) *Ibid.*, 3307, 3308.

(5) *Ibid.*, 5310, 3313.

(6) *Ibid.*, 3309, 3310, 3313.

(7) *Ibid.*, 3307.

(8) *Ibid.*, 3306, 3314.

(9) *Ibid.*, 3305.

(10) *Ibid.*, 3311.

(11) *Ibid.*, 3312.

(12) *Notiz. d. Scavi*, 1893, p. 438; 1896, p. 53.

(13) *Ibid.*, 1877, p. 329; 1878, p. 140, 300; 1893, p. 437.

(14) C. I. L., IX, 3304; Cf. *supra*, p. 91.

(15) *Ibid.*, 3308.

Corfinium igitur ceteras Paelignorum civitates auctoritate et honore antecedebat.

His summatim expositis, cui non id apparet, paelignam regionem romana aetate excelsissime floruisse? Post tot ac tantas rerum perturbationes, pacem et felicitatem principes Italiae dederant.

## CONCLUSIO

Ex omnibus iis documentis quae supra contulimus constat, nostra quidem sententia, Paelignos in Italia antiqua minime spernendas obtinuisse partes. Ex ipsa geographica regionis conformatione cum totius populi historia tum uniuscuiusque civitatis fortuna emanavit. Cum enim Paeligni mediis in montibus paeninsulae maxime mediterraneam partem et, ut ita dicam, arcem, quae difficillime traici et expugnari posset, habitarent, haudquaquam mirandum est eos sero a senatu populoque romano leges accepisse et adhuc primo a. C. n. saeculo ineunte formidolosam rebellionem fecisse. Romanorum quidem mores, lingua, religio, tarde et pedetentim paelignam regionem pervaserunt, cuius incolae contra ceteris sabellicis populis Samnitibusque et Sabinis, si religionem, linguam, mores, respicias, tam similes erant. Ut nonnulli dialectici tituli sullano etiam tempore conscripti fuerunt, ita in ipsis latinis inscriptionibus imperatoria aetate confectis aliquae notae deprehendi possunt quae antiquitatem redolent. Quid quod Paeligni veteres suos deos constanti fide ac cultu prosecuti sunt ? Nonne Pelinam et Lavernas venerabantur, paelignae gentis propria numina, at revera indigetes, et Angitias, praesertim apud Marsos, finitimam gentem, florentes? Romani, tota paeninsula in suam potestatem redacta, omnibus italicis nationibus instituta magistratusque imposuerunt

et eas ad Urbis exemplar finxerunt. Sed animadvertendum est nunquam ad perfectam et absolutam similitudinem reductas esse diversas Italiae regiones, immo semper inter se multum distulisse ; nam prout singulorum populorum et geographica condicio et ingenium et ante actae vitae genus erant, plus aut minus quemque romana disciplina informavit. Paelignos autem et antiquum rerum statum servavisse tenaciter et moribus maiorum fidelissimos fuisse affirmare possumus.

*Vidi ac perlegi*
*Lutetiae Parisiorum, in Sorbona*
*die XI Apr. anni MDCCCCII*
*Facultatis Litterarum in Universitate Parisiensi*
*Decani assessor :*

E. LAVISSE

*Typis mandetur*
*Academiae Parisiensis rector :*
GRÉARD.

# CORRIGENDA

| | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|
| *Pagina* | 8 | *linea* 18 | *pro* | 1891 et sqq. | *lege* | 1891 sqq. |
| — | 12 | — 29 | — | *Länderkunde* | — | *Länderkunde.* |
| — | 21 | — 17 | — | Rate· | — | Reate. |
| — | 23 | — 29 | — | Rupes eocenas dictas | — | Rupes eocenae dictae. |
| — | 26 | — 3 | — | hoc et illum | — | hoc et illam. |
| — | 36 | — 9 | — | nune | — | nunc. |
| — | 37 | — 17 | — | adtrito | — | attrito. |
| — | 37 | — 25 | — | Marsis | — | Marsos. |
| — | 38 | — 33 | *inter* | tradiderint *et* 1884 | *adde* | Vratislaviae. |
| — | 42 | — 6 | — | ea *et* reperimus | — | nomina. |
| — | 48 | — 11 | *lege* | reponit. Remotissimae *etc.* | | |
| — | 62 | — 2 *et* 3 | — | καταπολεμήσαντες. | | |
| — | 62 | — 5 | — | Πελιγνούς. | | |
| — | 64 | — 3 | — | Πελιγνοὺς. | | |
| — | 64 | — 9 | — | Secundo punico bello flagrante *etc.* | | |
| — | 64 | — 13 | *pro* | Spoletum | *lege* | Spoletium. |
| — | 65 | — 23 | — | clypeo | — | clipeo. |
| — | 69 | — 28 | — | Leipsig | — | Leipzig. |
| — | 72 | — 6 | — | ἦν | — | ἦν. |
| — | 74 | — 31 | — | Vindobona | — | Vindobonae. |
| — | 81 | — 5 | — | exercitu | — | cum exercitu. |
| — | 86 | — 13 | — | *Serg(id* | — | *Serg(ia.* |
| — | 89 | — 10 | — | peculiare | — | peculiari. |
| — | 91 | — 23 | — | *m(ilia)* | — | *mil(ia).* |
| — | 92 | — 4 | *lege* | *Marc]-* | | |
| — | 92 | — 20 | — | *p[le]-* | | |
| — | 92 | — 28 | — | *sacr-* | | |
| — | 98 | — 6 | — | fautricis paelignae gentis. | | |
| — | 102 | — 9 | — | Πελιγνοί. | | |
| — | 102 | — 10 | — | Πελιγνῶν. | | |
| — | 106 | — 9 | *pro* | positas | *lege* | positos. |
| — | 107 | — 13 | *lege* | Πελιγνῶν. | | |
| — | 107 | — 18 | *pro* | Appennini | *lege* | Apennini. |
| — | 108 | — 10 | — | F | — | Ⅎ. |
| — | 109 | *inter* CERFENNIA *et* CORFINIO *lege* XVI (vel potius ex alio codice XVII) m. p.; *inter* INTERPROMIUM *et* TEATE MARRUCINO *lege* XVII m. p., *et cetera deleantur.* | | | | |
| — | 111 | — 21 | *pro* | *Antoninainum* | *lege* | *Antoninianum.* |
| — | 114 | — 12 | *lege* | Πελιγνῶν. | | |
| — | 120 | — 14 | *pro* | *Pagus Vittorito* | *lege* | Pagus *Vittorito.* |
| — | 124 | — 6 | — | quorum | — | quarum. |
| — | 126 | — 13 | — | superaequani | — | Superaequani. |




*REGIO PAELIGNORUM*

*expressa ad exemplar tabulae, ab H. Kiepert delineatae, quae inscribitur :* ITALIAE REGIO IV.

(C. I. L., t. IX, tab. II, Berlin, Reimer, 1883.)

## INDEX CAPITUM



## INDEX TABULARUM



---

Saint-Amand (Cher). — Imprimerie BUSSIÈRE.

